This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Ga
113
162
13

Ga 113.162.13

Ga 113.162.13

Harvard College Library

FROM THE BEQUEST OF

JAMES WALKER, D.D., LL.D.

(Class of 1814)

FORMER PRESIDENT OF HARVARD COLLEGE

"Preference being given to works in the Intellectual and Moral Sciences"

Carl Georgi
BONN.

STUDIA

IN

ARISTOTELIS

LIBROS METAPHYSICOS

COLLATA.

SCRIPSIT

GUILELMUS CHRIST

DR. PHIL.

BEROLINI

VENDITUR A GUST. BETHGE.

MDCCCLIII.

Ga 113.162.13

Harvard College Library
Feb. 2, 1917
Walker Fund.

VIRIS AMPLISSIMIS

IISDEMQUE

PRAECEPTORIBUS DE ME OPTIME MERITIS

L. SPENGELIO

ET

AD. TRENDELENBURGIO

HUNCCE LIBELLUM

PII GRATIQUE ANIMI SIGNUM

DEDICAT

AUCTOR.

Integriorem textum Aristotelis librorum metaphysicorum primi nostris temporibus Brandisius et Bekkerus, viri illustrissimi, majore codicum copia instructi restituerunt. Sed cum Bekkerus sola fere librorum manuscriptorum fide fretus et vetustas editiones et gravissima testimonia veterum commentatorum seposuisset, Bonitzius, vir sagacissimus, et hanc provinciam suscepit, et, quod maxime praedices, ingenio et acumine permultos locos egregie sanavit. Eandem viam ingressus Schweglerus minora quidem sed et ipse haud spernenda praestitit. Consilium autem et ordinem horum librorum cum alii infelicius, tum eximia doctrina et acuta sagacitate Brandisius [1]) Ravaisson [2]) Bonitzius [3]) eruere connisi sunt. Nihilominus non pauca restant, quae

[1]) Denkschrift der Berl. Akad. 1834. p. 63—87; et Geschichte der Griechisch-Römischen Philosophie. Theil II. Abtheil. II. erste Hälfte.

[2]) Essai sur la Métaphysique d'Aristote. Paris 1837. tom. I.

[3]) Metaph. tom. II. p. 1—35.

vel medicina critica vel lumine interpretationis magnopere egeant. Nam non modo multi loci ab interpretibus aliis emendandi relicti sunt, sed etiam exstant, quorum difficultates illos fugerint. In ordine vero et cohaerentia horum librorum investigandis clarissimi illi viri magis, quid non concinnatum sit, docuerunt, quam quod commune consilium hos libros conjungat, curaverunt. Meis igitur infirmis viribus utrum contigerit, et singulis locis medela critica lucem affundere et totius operis consilium atque compositionem perspicere, doctorum virorum judicio committo.

Atque ipsae leges concinnitatis jam flagitare videntur, ut ab singulis locis pertractandis auspicemur et ad generaliorem quaestionem progrediamur. Sed non minore vi a rebus ipsis ad hunc ordinem propellimur. Nam sententia, quam equidem de serie horum librorum laturus sum, ita fundamento singulorum locorum nititur, ut his solis acrius excussis via patefieri possit. Antequam autem de singulis locis agamus, primum de subsidiis criticis pauca nobis disserenda sunt. Quamvis enim sedulitati rei diplomaticae in his libris recensendis minores partes tribuendae sint, quamvis acumine et cognitione Aristoteleae philosophiae inprimis opus sit, tamen ne istam quidem partem negligere fas est. Sed omnium codicum et reliquorum subsidiorum auctoritates ponderare ab angustiis hujus dissertationis alienum est; duas autem gravissimas quaestiones excutere in animum induxi; primum quae dignitas codici Laurentiano, a Bekkero siglo »A^{b}« notato, assignanda sit, deinde quae ratio inter veteres commentatores, Alexandrum Aphrodisiensem inprimis, et libros manuscriptos intercedat. Priorem quaestionem cum aliis tum hac de causa tractaturus

sum, quia Brandisius in textu constituendo cod. A^b ducem sibi elegit, Bonitzius autem auctoritatem ejus infringere valde studuit. Alteram vero quaestionem et hisce in Aristotelis libris et in reliquis fere omnibus[1]) eo magis urgendam esse censeo, quia hinc potissimum certior lux de aetate et pondere recensionum nostrorum codd. elici potest.

Atque si quis in universum discrepantiam lectionum codd. accuratius inspexerit, facile adducetur, ut primum fontem illius differentiae non in interpolatoris cujusdam manu, sed in diversis recensionibus quaerendum esse censeat. Quarum recensionum altera in cod. A^b nobis reservata, altera per rell. codd. mista dispersa est. Ex interpolatione enim alteram partem codd. labem non traxisse, cur statuamus, et innumera multitudine variarum lectionum monemur, et his inprimis rationibus confirmamur. Si quid in codd. ab interpolatore mutatum est, ubique consilium aliquod subfuisse videbimus: sive ut obscurum tectumque sensum vel addita explicatione vel verbis obsoletis cum solemnioribus mutatis vel structura expedita vel qualicunque medicina faciliorem clarioremque redderet, sive ut sententias auctoris male perceptas in ipsius interpretationem detorqueret, sive ut, quod pessimum interpolationis genus est, verba auctoris cum ipsius opinione repugnantia mala fide corrumperet. At major pars variarum lectionum in libris metaphysicis ita comparata est, ut ullum interpolatoris consilium ne divinari quidem possit. Sed singulorum

---

[1]) De libris »περὶ οὐρανοῦ« vide praestantissimum Boeckhii v. cl. judicium in libro »das kosmische System des Plato.« p. 79—81.

exemplorum nubibus hanc rem comprobare et longius et parum aptum mihi esse videbatur. Itaque capita discrepantiae hic proponere satis habeo. Atque levissimum quidem discrimen in eo spectatur, ut eadem verba in altera recensione diverso ordine se excipiant (989ᵇ 9 *τῶν χρωμάτων τούτων* Aᵇ *τούτων τῶν χρωμάτων* rell. cod. 999ᵃ 17 *εἶναι δεῖ καὶ τὴν αἰτίαν* Aᵇ *δεῖ κ. τ. α. εἶναι* rell. codd. *κ. τ. λ.*), gravius, si quod verbum aliter flectitur vel numero plurali cum singulari vel gradu superlativo cum comparativo mutato (990ᵇ 24 *ἔσονται* Aᵇ, *ἔσται* rell. codd. 992ᵇ 3 *θάτερον*, Aᵇ *θάτερα* rell. codd., *κ. τ. λ.*), tertium, si eadem res diversis nominibus exprimitur aut articulus aliave particula sine magno sensus inflexu omittitur (998ᵇ 2 *συνέστηκε* Aᵇ *ἐστί* rell. codd. 1013ᵇ 12 *ἐνίοτε* om. Aᵇ, *κ. τ. λ.*); cognata denique ratione eadem sententia diversis structuris declaratur (992ᵇ 12 *εἰ δώσει* Aᵇ *ἐὰν δῷ* rell. codd. 988ᵃ 9 *μόνον κέχρηται* Aᵇ *ἐστὶ μ. κεχρημένος* rell. codd. *κ. τ. λ.*). — Atqui lectiones hujus generis pleraeque aequa virtute commendantur, et si quo loco lectio cod. Aᵇ orationem nitidiorem ac tersiorem reddit, altera tamen lectio non tali inconcinnitate laborat, ut ansam interpolationis dedisse aestimanda sit. Quodsi numerus harum diversarum lectionum exilis esset, errori scribarum atque temporum vicibus culpa imputari posset. Nunc in tanta abundantia non video, quomodo res expediri possit, nisi ad diversas recensiones recurrerimus. Sed haec discrepantiae genera non multum fructus ad textum emendandum suppeditant, nec de aetate, qua quaeque recensio confecta sit, nos certiores faciunt. Multo majoris autem momenti argumentum in lacunis alterutrius recensionis positum est.

Sed antequam hinc aliquid de necessitudine utriusque recensionis colligi potest, necessarium est, ut de ipsis illis lacunis cod. A^b pauca disseramus. Lacunarum enim cod. A^b tantus est numerus, ut primo adspectu de integritate et praestantia illius codicis paene desperes. Sin autem rem diligentius disquisiveris, plerasque lacunas ex homoteleuto ortas esse invenies, ex quibus nonnullas hic apponere mihi liceat: 1032^b 27 *τῆς ὑγιείας ἢ ἔπεταί τι αὐτῇ τοιοῦτον ὅ ἐστι μέρος τῆς ὑγιείας; ἢ — ὑγιείας* om. A^b 1015^b 17 *κατὰ συμβεβηκός, τὸ δὲ καθ' αὑτό· κατὰ συμβεβηκὸς μέν; τὸ — μέν* om. A^b; 1016^b 24 *κατὰ τὸ πόσον καὶ ᾗ ποσόν; καὶ ᾗ ποσόν* om. A^b; 1034^b 21 *καὶ τὸ μέρος τοῦ λόγου πρὸς τὸ μέρος τοῦ πράγματος; τοῦ — μέρος* om. A^b; 1037^b 12 *τὸ ζῶον δίπουν· ἔστω γὰρ οὗτος αὐτοῦ λόγος. διὰ τί δὴ τοῦτο ἓν ἐστιν ἀλλ' οὐ πολλά, ζῶον καὶ δίπουν; ἔστω — δίπουν* om. A^b. Eadem ex causa explicandae sunt lacunae in his locis: 994^a 29, 1003^a 31, 1004^b 15, 1015^b 18, 1025^b 26; quarum numerum apparatu critico Bekkeriano comparato facile auxeris[1]). Has igitur lacunas non nisi ex homoteleuto ortas esse et analogia, quae inter illas omnes intercedit, et sententiarum,

---

[1]) Hoc loco praeterire nolo, me ex indole recensionis in cod. A^b nobis servatae necessitudinem quandam hujus recensionis cum illa, quae in libris rhetoricis cod. A^e et in logicis cod. A. nobis tradidit, suspicari. Nam non modo lacunae in tribus his codd. pari cum frequentia occurrunt, sed etiam quaedam dictionis proprietates ad eundem fontem nos ducunt; sic in enunciatione disjunctiva priorem particulam *ἤ* omittere, atque pleniorem usum copulativarum conjunctionum *τε — καὶ* vel *καί — καὶ* cum exiliore nuditate simplicis conjunctionis »*καί*« mutare solent.

quae verbis a cod. A^b omissis insunt, vi ac pondere docemur. Nam tantum abest, ut ullam speciem additamentorum, ab interpolatore quoquam leviter adjectorum, prodant, ut ad sententiarum connexum, si quid aliud, necessaria esse videantur. Quod cum fieri non possit, quin lacunas illas de industria a librario verba interjecta tamquam superflua ejicienti factas esse censeamus, meditatus sum, si qua ratione illa negligentia probabilior reddi possit. Atque si verba interjecta in exemplari, cujus scriba apographum confecit, singulos vel plures versus accurate explesse statuere liceret, socordia scribae a rebus ipsis multum adjuta esset; facillime enim oculi ab uno in alterum versum delabi potuissent. Cum autem locos ipsos disquirerem, nonnullas quidem lacunas, modo singulos versus vicenas fere literas continuisse statuerimus, ex hac lege expediri posse, majorem autem partem in illam rationem redigi nequire intellexi. Itaque propensus sum, ut illas lacunas non subito sed paullatim ex codicibus diversi quoque ambitus ortas esse censeam. Sed lubricam hanc viam jam desero, ne nimio conjectandi studio rei ipsi noceam. Procul autem dubio lacunae id genus non ad recensionis discrepantiam sed ad librarios imperitissimos referri debent. Sed quaeritur, illaene lacunae, quae non ex homoteleuto originem traxerint, ex recensione diversa repetendae sint, an et ipsae librariorum negligentiae imputari debeant. Atque de una tali lacuna dubitari non potest, quin et ipsa socordiae scribae debeatur: 1017ª 17 *τὸ δὲ μουσικὸν ἄνθρωπον, ὅτι τούτῳ τὸ μουσικὸν συμβέβηκεν* om. A^b; etenim ea, quae Ar. in proxima enunciatione »*οὕτω δὲ λέγεται καὶ τὸ μὴ λευκὸν εἶναι*« con-

tendit, ad illam unam rationem in verbis a cod. A[b] omissis descriptam referri possunt. Atqui si hujus lacunae origo ex mera socordia ducenda est, cur, facile quis dixerit, in reliquis tu ad alteram recensionem recurris? Quamvis enim in illis argumenta ejusdem evidentiae afferri nequeant, nihil tamen impedire, quominus eadem scribae incuria turbas excitaverit. Atque equidem hujus argumenti pondere perculsus nihil dijudicare auderem, ni quid suffragaretur. Sed opportuno tempore Alexandri paraphrasis succurrit, quae illam rationem infringit, et ad fontem alterius recensionis nos retrahit. Cum enim Alexander ad singula verba acerrime attentus sit, tantum non pro certo sententiam, quam silentio praetermiserit, in textu, quem ipse manibus triverit, defuisse colligi potest. Illae igitur lacunae, quae ab Alexandro confirmantur, hae fere sunt: 984[a] 32—33, 989[a] 26—30, 1045[b] 19—21, 1047[b] 20—22, 1049[b] 8, 1070[b] 29—30. Maxime autem finis cap. VI. lib. Θ. 1048[b] 18—35 dignus est, qui notetur; is enim ab Alexandro et codd. ET universus omittitur, et in cod. A[b] aliqua certe ex parte expunctus est. Contraria ratione Alexander sub finem lib. *M.* cap. VII. 1082[b] 36 haud dubie[1]) pleniorem

---

[1]) Nam Alexandrum hoc loco non interpretantem latius exspatiatum esse, quod in ideis Platonicis refutandis non raro facere solet, sed Ar. ipsius verba explicuisse apparet ex commentario ipso: »*ὡρισμένου γὰρ ὄντος τοῦ ἀριθμοῦ .... διαιροῦμεν αὐτοὺς εἰς τὰ οἰκεῖα μέρη· ἀορίστου δὲ προςτίθεμεν .... ἀλλὰ πῶς ἀόριστον εἶπε τὸν ἀριθμόν;* — postremis verbis luce clarius fit, Alexandrum tale quid in suo textu habuisse nec de suo addidisse; cur enim addidisset explicationem obscurae notionis verbi *ἀορίστου*, nisi ipso textu Aristotelis coactus fuisset?

textum habuit, et B. c. I. 995b 8 post ἅπαντες legit haec: ἀρχαὶ ταῦτα πάσης ἐπιστήμης [1]). Jam quaeramus, quonam tempore hae lacunae ortae sint. Atque librariorum quidem lapsu eas factas esse equidem non adducor, ut credam. Nam non modo tales errores ultra finem secundi saeculi p. Chr. n. sive ultra aetatem Alexandri rejicere audacissimum est, sed etiam nimis a veri specie recedit, plus septemdecim versus (Θ. c. VI) a scriba quodam solo oculorum lapsu omissos esse. Lacunae sane ejusdem atque adeo majoris ambitus aliis in auctoribus inveniuntur, sed non secundo saeculo ortae, sed per longam saeculorum seriem imperitia scribarum graecae orationis ignarorum commissae. Ex diversa igitur recensione has lacunas profectas esse jure colligere mihi videor.

Atque maxima sane lacuna Θ. c. VI ab Andronico Rhodio [2]) vel alio peripatetico de industria omitti potuit, qui haec verba, multis ac foedis mendis squalida, Aristotelis ingenio indigna esse judicaverit. Cur tamen nec ad Andronici, nec alius cujusquam recensionem confugiam, his duobus argumentis ducor. Si quid enim ab ingenio critico expunctum vel additum est, Alexander religiose non modo rem ipsam sed etiam causas, quibus illi moti sint, refert; in illis autem lacunis nihil relatum video. Praeterea reliquas lacunas praeter magnam istam modo lauda-

---

[1]) Eadem ratione certior factus sum Alexandrum post ἅπαντες legisse »ἀρχαὶ ταῦτα πάσης ἐπιστήμης;« ipse enim addidit in explicando hoc loco: λείπειν δὲ τῇ λέξει δόξει τὸ ἀκόλουθον »γὰρ« τῷ προειρημένῳ τῷ »καὶ περὶ τῶν ἀρχῶν.« Miror interpretes hoc latuisse.

[2]) Plutarch. vita Sullae c. XXVI. Ἀνδρόνικον εὐπορήσαντα τῶν ἀντιγράφων εἰς μέσον θεῖναι cf. Stahr Aristot. II. p. 131.

tam ob criticas quasdam difficultates factas esse nego. Quid enim verba: »*ὅλως τε ἀλλοίωσιν ἀναιρεῖσθαι ἀνάγκη τοῖς οὕτω λέγουσιν· οὐ γὰρ ἐκ θερμοῦ ψυχρὸν οὐδὲ ἐκ ψυχροῦ θερμὸν ἔσται. τὶ γὰρ ἂν αὐτὰ πάσχοι τἀναντία, καὶ τὶς ἂν εἴη μία φύσις ἡ γιγνομένη πῦρ καὶ ὕδωρ, ὃ ἐκεῖνος οὔ φησιν:*« 989ª 26—30, ab Alexandro et cod. A[b] omissa, habent, quod subtilitatem viri critici offendat? Si grammatici illorum dierum tam subtilem crisim exercere voluissent, multo magis alios locos librorum metaphysicorum vexare debuissent. Rejecta igitur hac sententia, videamus, quid ipsi veteres commentatores de recensione horum librorum tradiderint. Atque Aristotelem, praematura morte ereptum, libros metaphysicos Eudemo, discipulo suo, tradidisse non modo nota Asclepii narratiuncula[1]) sed etiam gravissimum testimonium Alexandri vel potius Pseudoalexandri[2]) docet: *καὶ οἶμαι καὶ ταῦτα ἐκείνοις ἔδει συντάττεσθαι καὶ ἴσως ὑπὸ μὲν Ἀριστοτέλους συντέτακται ... ὑπὸ δὲ τοῦ Εὐδήμου κεχώρισται.* In Aristotelis enim exemplari, ut qui hos libros retractans alia correxerit, alia nova adjecerit, alia denique delenda significaverit, multa incerta atque Eudemi manu egentia fuisse videntur. Inde colligo duplicem recensionem emanasse ex ipso Aristotelis exemplari. Vae temeritati! undique exclamari audio. Sed isti, quaeso ne ardentiores sint. Ipse

---

[1]) Schol. ed. acad. p. 519ᵇ 38 sqq.

[2]) p. 483, 28 sqq. ed. Bon. Lectores monitos velim, me alias brevitatis causa Alexandrum et Pseudoalexandrum non distinxisse, Bonitzii exemplum secutum. Antiquissimo certe et integerrimo textu commentatorem posteriorum librorum usum esse postea permultis locis docere conabor.

enim huic soli argumento me non confidere ingenue fateor, singulis autem in locis pertractandis plura argumenta addere cogito, unde probabilior certe haec sententia evadat. Sed cum his excutiendis hic idoneus locus non esse videatur, mox ad hanc rem recurram.

Nunc ad quaestiones de auctoritate cod. A[b] et de ratione codicibus cum veteribus commentatoribus intercedente redeamus.

Atque primum in universum, qua necessitudine codices omnes et veteres commentatores, Alexander inprimis, conjuncti sint, exploremus. Prius tamen pauca praefari nobis liceat, qua ratione veteribus commentatoribus adjuvemur, ut non modo de praestantia singularum lectionum sed etiam de universa codicum indole rectius judicemus.

Cum enim inter vetustissimum et celeberrimum interpretem Alexandrum Aphrodisiensem et posteriores Themistium Asclepium Syrianumque spatium trium fere saeculorum interjectum sit, in iis locis, ubi quid, ab Alexandro omissum, a recentioribus orationis fulciendae causa additum est, aut verba, ab illo implicate citata, ab his in solemniorem dicendi rationem conversa sunt, interpolationis suspicio aliquo non dico certo at probabili tamen fundamento nititur. Ex contraria parte, si quae verba apud Alexandrum tersa nitidaque, apud posteriores obscura ac perplexa laudantur, animus in interpolationis suspicionem propensus retrahi debet. Haec igitur res in singulis locis acerrime attendenda est; ad codicum autem indolem aestimandam spectat haec altera. Jam Alexander ejusque antecessores conjecturis ingeniosis plerisque, omnibus autem summa cum cautione timiditateque quadam prolatis textum

metaphysicum emendare tentaverunt. Quaeritur igitur, utrum istae correctiones in nostros codices irrepserint, necne. Atque codices omnes ab conjecturis et fulcris virorum, qui ante Alexandrum libris metaphysicis studium impenderunt, non vacuos mansisse, uno luculentissimo exemplo docemur. Calci enim lib. *α*, cap. III ab omnibus codicibus verba adduntur haec: »*καὶ εἰ μιᾶς ἐπιστήμης ἢ πλειόνων τὰ αἴτια καὶ τὰς ἀρχὰς θεωρῆσαί ἐστιν*,« quae ab iis, qui librum *α* cum sequenti B connectere voluerint, adjecta fuisse, Alexander ad h. l. docet. Alexandri vero commentaria ab iis, qui antiquitus ea exemplaria, unde nostri codices descendant, confecerint, cognita et in recensendo textu adhibita fuisse, hinc aliquis colligere potuerit, quia ex iis, quae Alexander in commentariis monuerit, hi loci interpolati esse videantur: 995[a], *οὕτως ἔτι ἀξιοῦμεν; ἔτι*, in quo jure Alexander offensus erat, codices expunxerunt; 1016[b] 10 *ἢ ὧν ὁ λόγος μὴ εἷς;* Alexander in praecedente sententia verbis »*ἢ εἴδει ἢ λόγῳ*« eandem non diversam rem designari eo probavit, quia in sequenti enuntiatione verbis »*ἢ ὧν μὴ ἓν τὸ εἶδος*« alterum membrum »*ἢ ὧν ὁ λόγος μὴ εἷς*« non additum sit. At ipsa haec verba in omnibus codicibus et apud Asclepium leguntur. 1040[a] 22 *ἔπειτα δὲ εἰ ἐξ ἰδεῶν*... Praecedens *πρῶτον* (v. 15) non eam particulam, quae illi respondeat, subsequi, sed ex laxiore constructione orationem particula »*ἔτι*« continuari Alexander notat; sed codicum consensus *ἔπειτα*, ab Alexandro desideratum, praebet. 982[a] 21 *τούτων δὲ τὸ μὲν πάντα ἐπίστασθαι; πάντα* ab Alexandro desideratum codices excepto T[b] in textum receperunt. 1008[a] 25 *εἰ δ' ὁμοίως καθ' ἑκάστου*, in uno codice A[b] particula adversativa »*δὲ*« consecutivae »*γὰρ*«

ab Alexandro praelatae cessit[1]). His igitur ex locis codices nostros ex textu Alexandri aetate vulgato, adhibitis ipsius commentariis, prodiisse, aliquo certe cum jure collegeris. At primum dubitari non potest, quin codices nostri non ex alio quoque fonte fluxerint. Hanc rem ea, quae ab Alexandro omissa, a codicibus autem aut omnibus aut plerisque addita esse nec interpolatoris sed Ar. ipsius ingenium et dictionem prae se ferre supra exposuimus, manifesto testantur. Praeter istas lacunas ii loci, ubi Alexander falsam implicatamque lectionem secutus est, nostri autem codices lectionem ita veram et genuinam, ut conjecturam nullo modo redoleat, praebent, in censum vocandi sunt. Sic Alexander ad 1033ᵇ 6 *οὐ »γίγνεται, οὐδ' ἔστιν αὐτοῦ γένεσις, οὐδὲ τὸ τί ἦν εἶναι«* non pravam implicatamque explicationem exsudasset, ni in ejus textu verba *αὐτοῦ γένεσις* excidissent. Porro 1078ᵃ 8 codd. omnes lectionem unice veram, quam non conjectura fictam esse confido, praebent *ἢ μήκη μόνον*, Alexander in ipsius lectione, scribae errore orta, *»μὴ κινούμενον«* explicanda egregie nugatur. Idem cadit in hunc locum 1083ᵃ 13 *»ἡ δὲ ποσοποιόν,«* ubi Alexander

---

[1]) Praeterea ex iis, quae ab Alexandro, quantum ex ejus silentio conjicere liceat, omissa, a codicibus autem addita sunt, nonnulla manifestam interpolatoris manum produnt: sic 989ᵇ 20 ab omnibus codicibus verbis *»τοῖς φαινομένοις«* additum est *νῦν*, quod ex prava interpretatione eo consilio intrusum est, ut praecedenti *ὕστερον* responderet; nec multum differt 988ᵇ 26 ubi *»καὶ φθορᾶς,«* a codicibus adduntur, cum imperitus aliquis consuetam generationis et corruptionis societatem huc quoque traheret, ubi ne apte quidem Ar. de corruptione loqueretur.

si lectionem codd. T^b G^b cognitam habuisset, non in explicanda sua pravissima »ποσὸν ποιόν« laborasset. Similis conditio spectatur in corrupta Alexandri lectione 1054^{b}17 πλησιαίτερον[1]). Hinc igitur nec codices ex Alexandri textu emanasse nec alterum fontem, unde codices fluxerint, Alexandro ipsi cognitum fuisse affatim apparere videtur. Sed illud quoque nunc in dubium vocaverim, num omnino ii, qui antiquitus exemplaria codicum nostrorum descripserint, Alexandri commentaria cognoverint. Namque non modo ex multis transpositionibus, quas Alexander larga manu proposuit, quarumque nonnullae vel maxime probantur, ne unam quidem secuti sunt, sed etiam conjecturarum longe majore parte neglecta vulgarem lectionem etsi obscuriorem receperunt. Atqui est inter illas una, quam palmariam praedices (1007^a 34 καθ' οὗ) altera, quam nescio an et ipsa in textum recipienda sit (1002^b 24 καὶ in ἀλλὰ mutato). Nec dubito, quin illi, si Alexandri commentariis usi essent, in libri Γ. c. IV. 1008^b 11 verbum foede corruptum »πεφυκότων« verissima lectione »φυτῶν«, ex Alexandri commentariis recepta, expulissent. Accedit, quod paucae illae interpolationes, quae ex Alexandri commentariis fluxisse videntur, tam facile cuique se offerunt, ut ab aliis quoque in marginibus suorum exemplarium adjecta esse possint. Inde eos, qui Alexandrum unicum ducem in textu constituendo aestimandum esse censeant, errare liquet. Nam quamquam Alexander integerrimum atque optimum textum habuisse neutiquam nego, omnibus tamen in locis codicum digni-

[1]) cf. Bonitz obs. crit. in Ar. libr. met. p. 111 et 112.

tatem Alexandri auctoritati postponi improbo. Etenim si interpolationis signa non aperta sint, semper suspicari licet, codicum lectionem ex altero illo fonte, Alexandro incognito, originem duxisse. Praeterea Alexander, quamquam palmam interpretis praeclare meruit, non magno tamen apparatu critico instructus fuisse videtur. Nam dum Asclepius, multo majore spatio ab origine horum librorum remotus, nonnulla de fato hujus operis in prooemio tradit, ipse Alexander nullam textus historiam tam exoptatam praemisit. Atque nescio, an ex ipsius verbis p. 44, 22; »ἱστορεῖ δὲ Ἀσπάσιος ὡς ἐκείνης μὲν ἀρχαιοτέρας οὔσης τῆς γραφῆς, μεταγραφείσης δὲ ταύτης ὕστερον ὑπὸ Εὐδώρου καὶ Εὐαρμόστου« consentaneum sit, ipsi recensionem illorum virorum inspicere non licuisse.

Haec in commune de ratione inter codices et Alexandrum intercedente dicta sint; restat, ut quae familia codicum Alexandri textui magis accedat, examinemus. Sed hic quoque praemonere mihi liceat, quomodo lectio, quam Alexander secutus sit, investigari possit.

Atque lemmata quidem ipsa non certam viam monstrare, immo vero crebro ab aliena manu addita aliam ac, quam Alexander in commentariis tractaverit, lectionem praebere, Bonitzius optime docuit [1]). Eo aegrius fero ab ipso Bonitzio hanc legem non ubique observatam esse. Multis enim locis lectionem hanc illamve Alexandrum habuisse certe, nullo dubitationis signo addito, affirmat, ubi haec fiducia non ex Alexandri commentariis, ut quae rem magis dubiam quam certam red-

---

[1]) Metaph. I. praef. VII.

dant, sed ex sola lemmatis fide explicari potest. Sed cum hanc rem negligentiae viri diligentissimi et tutissimi tribuere non audeam, nescio an ex errore quodam orta sit. Fortasse enim Bonitzius sola ea lemmata, quae in fronte cujusque commentariorum particulae posita sint, ab aliena manu addita, quae autem in medio commentario interjecta sint, ab Alexandro ipso profecta esse suspicatus est. Mihi autem, Alexandri commentarios acerrime rimato, persuasi, lemmatis id genus non minus quam reliquis omnem fidem derogandam esse. Sic Alex. 34, 29 praebet: *γράφεται ἔν τισιν ἀντὶ τοῦ μαλακώτερον »μορυχώτερον«*. Sed non *μαλακώτερον* sed *μοναχώτερον* Alexandrum in textu habuisse optime perspexit Brandisius ex sequentibus verbis *»εἰ δὲ μαλακώτερον εἰπεῖν ἐβούλετο, ἐχρήσατ' ἂν τῷ ὀνόματι αὐτῷ;* deinde 125, 15 legimus *τὸ δὲ »μεῖζον ἰσχύει τοῦ γιγνώσκειν περὶ αὐτῶν διὰ τὸ ἔθος« ἴσον ἐστὶ τῷ μεῖζον ἰσχύει τῆς περὶ αὐτὰ ἀληθείας τὸ ἔθος· κατὰ γὰρ τὴν ἀλήθειαν ἡ γνῶσις.* Sed ex ipsa paraphrasi satis mihi elucere videtur, Alexandrum lectionem cod. A[b] habuisse *»μεῖζον ἰσχύει τοῦ γιγνώσκειν περὶ αὐτῶν τὸ ἔθος:* Accedit certissimum documentum 1014[b] 19, de quo vide infra.

Ex solo igitur commentario lectio, quam Alexander secutus sit, elici debet. Quae cum difficillima res sit, aliqua certe ex parte ampla variarum lectionum segete, ex codicibus enotatarum, adjuvamur. Nam in plerisque locis id solum erui potest, utrum Alexander cum lectionibus a codicibus traditis conspiret, et si lectio variat, utri faveat; ipsa autem verba, quae in textu habuerit magis augurari quam perspicere licet. Illa vero in re in-

daganda mentis acies his duabus rebus magnopere acuitur. Atque primum, si Alexander in explicando aliquo loco laborat vel per ambages rem ambit, acerrime videndum, ne intricatam quandam lectionem secutus sit. Deinde, si quem ipsum lectio a codicibus tradita offendit, is acrius ad Alexandrum attendet, atque id fortasse, quod alterum fugerit, deteget. Et hac quidem in re expedienda Schweglerus, quippe cui plenum atque integrum Alexandri textum a Bonitzio editum in suum usum convertere non licuerit, subsidiis necessariis orbatus fuit, Bonitzius autem Alexandri commentarios diligenter sagaciterque excussit. Nihilominus mihi contigit, ratione modo descripta nova quaedam investigare, quae hic adjicere libet: 995^{b} 8 post *ἅπαντες* add. Alex. *ἀρχαὶ ταῦτα πάσης ἐπιστήμης*. 1008^{b} 5 *ἀληθεύει ἢ* A^{b} Alex. 1030^{a} 11 *κατ' ἄλλου* om. A^{b} T^{b} Alex., 1030^{b} 15 *ἔσται ὁ ὁρισμός* A^{b} Alex., 1033^{b} 6 *αὐτοῦ γένεσις οὐδὲ* om. Alex., 1031^{b} 14 *ἂν ὑπάρχοι* Alex., 1045^{b} 12 *τὸ ζῶον* Alex., 1047^{a} 11 *γινόμενον* A^{b} Alex., 1048^{b} 17 *τὸ δὲ χωρίζεσθαι* Alex., 1049^{a} 21 *δυνάμει* om. A^{b} Alex., 1049^{b} 34 *ποιήσει τὴν ἐπιστήμην* Alex., 1059^{a} 33 *ἢ* ante *περὶ* om. A^{b} Alex., 1083^{a} 7 *αἱ* om. T A^{b} as Alex., 1085^{b} 26 *τὸ πλῆθος* Alex., 1045^{a} 35 *οἷον ὁ κύκλος σχῆμα ἐπίπεδον* non interpr. Alex., 1051^{b} 6 *τοῦτο γὰρ σκεπτέον τί λέγομεν* non interpr. Alex., 1051^{b} 14 *καὶ ὁ λόγος ὁ αὐτός* non interpr. Alex. Praeterea permultos locos in procinctu habeo, ubi aliam lectionem Alexandrum habuisse suspicor, affirmare non audeo. Nonnullis in locis mox ad Alexandri textum redibimus. — Sed, ut ex digressione eo, unde deflexerimus, redeamus, quaeritur, quocum codice Alexandri commentarii magis conspirent.

Atque jam Bonitzius[1]) necessitudinem quandam codici A^b cum Alexandri commentariis intercedere suspicatus est, nec tamen quidquam de ea re affirmare voluit. Et profecto multis in locis ita Alexander et cod. A^b consentiunt, ut reliqui codices discrepent omnes; quorum eos, in quibus lectio ceterorum codicum ex interpolatione profecta esse videatur, dilaturus sum, ex ceteris autem dignos, quos adscribam, duxi hos: 982^b 14 *ἀτόπων* A^b Alex., 993^b 22 *καθ' αὑτὸ* om. A^b Alex., 1005^b 21 *προςδιωρισάμεθα* A^b Alex., 1011^b 11 *εἰ δὲ καθ' ἕκαστον* A^b Alex., 1011^b 35 *ἀντίφασις* add. Alex. A^b sed diverso loco, 1029^a 6 *τὸ ἐξ ἀμφοῖν* A^b Alex., 1030^a 21 *τὸ τί ἐστιν T* A^b Alex., 1031^a 29 *ἄρ' ἀνάγκη* A^b Alex., 1034^a 4 *αἱ* om. A^b Alex., 1035^b 17 *τὸ μέρος* add. A^b Alex., 1036^b 11 *τοῦ ἀνδριάντος* A^b Alex., 1049^b 8 *γίγνεται ἐν ταὐτῷ γὰρ* om. A^b Alex., 1052^b 17 *ἀδιαιρέτῳ,* A^b Alex., 1054^a 24 *οὔτε* A^b Alex., 1054^b 17 *καὶ τὸ πλησιαίτερον* A^b Alex., 1093^b 11 *ὡς* A^b Alex.; adde lacunas supra enotatas. Quamquam igitur non parvus numerus lectionum congruentium exstat, ne tamen textum Alexandri in cod. A^b nobis conservatum esse colligas. Nam non modo cod. A^b dimidium fere caput VI. libri *Θ*, ab Alexandro omissum, addidit, sed singulis quoque in locis crebro cod. A^b ab Alexandro differt, vide 987^b 26, 988^a 12, 991^b 3, 995^a 14, 995^a 19, 20, 995^b 33, 998^a 5, 998^a 26.... Multae sane lectiones cod. A^b, quae ab Alexandro discedunt, per tantum saeculorum intervallum lapsu calami socordiave librarii oriri poterant, aut, ipso teste Alexandro, illa aetate jam

[1]) metaph. I. praef. XVI.

ferebantur. Cum autem pleraque pars hoc modo excusari non possit, omnino illa conjectura de necessitudine cod. A^b et Alexandri mittenda est, tenendum autem codicem A^b magis reliquis codicibus Alexandro accedere; numerus enim locorum, in quibus codex A^b unus cum Alexandro conspiret, longe eum, ubi unus discedat, superat. Jam, ut capita hujus disputationis partis complectar: codices nostri ex fonte manarunt Alexandro ignoto, aliqua autem affinitate exemplar, unde codex A^b deducendus est, cum Alexandri textu conjunctum fuit.

Nunc demum de interpolationibus, quibus cum ceteri codices tum codex A^b inquinati sint, disceptaturus sum. Atque primum integritatem cod. A^b argumento ex innumeris mendis corruptelisque petito defendi posse nego. Tam multa enim in cod. A^b vel lapsu calami, vel conjunctione eorum, quae disjungi debeant, vel permutatione vocalium peccata sunt, ut homini optimo, qui ipsum codicem A^b exaravit, interpolationis culpam immerito irrogaveris. Etenim si ille scriba ullam non dico cognitionem sed divinationem rei tractatae orationisque graecae habuisset, nec multas lacunas, quae omnem nexum interrumpunt, adminisset nec menda tam aperta tam facile corrigenda non sustulisset. Permutationem autem vocalium η ει ι, cum a graeca manu profecta esse videatur, non ipsi scribae cod. A^b, ut qui graecae linguae ne simplicissimas quidem leges calluerit, sed ei, qui exemplar illius codicis exaravit, irrogaverim. Multis tamen his mendis dignitatem codicis A^b imminui, ne quis opinetur; quisquis enim ulla codicum cognitione instructus est, is in plerisque locis, quid in librarii crimen vertendum, quid ad alteram re-

censionem trahendum sit, facillime dijudicabit [1]). Hoc igitur integritatis argumento rejecto ad vera indicia exponenda nos accingamus. Interpolationis enim suspicio habet, quo probetur, si quid in versibus, ex prioribus philosophis physiologicis poetisve allatis, ita mutatum est, ut numeri in rectam formam redigantur. Versus autem in codice A^b laudati ita claudicare solent, ut de interpolatione hujus generis cogitari nequeat. Nec numerorum vitium ubique ex librariorum lapsu derivandum esse duxerim; horum certe versuum depravatio inveterata esse videtur: 984^b 26 *πρῶτον μὲν* A^b pro *πρώτιστον μὲν*, 984^b 29 *ἠδ'ἔρως* A^b pro *ἠδ'ἔρος*, 1000^a 30 *ὅσα τ'ἔστιν* A^b pro *ὅσα τ'ἔσται ὀπίστω*, 1009^b 24 *ὅπερ φρονέει μελέων φύσις ἀνθρώποισιν καὶ..; φύσις ἀνθρώποισιν* om. A^b, 1015^a 2 *διάλλαξίς τε μιγέντων ἐστί, φύσις δ'*.. codd. rell. *διάλλαξις μιγέντων ἐστὶ καὶ φύσις* A^b. Haec menda si ad Aristotelem ipsum, hos versus ex memoria laudantem, referre nolueris, ab interpolatoribus tamen scabros numeros in reliquis codicibus restitutos esse verisimillimum est. Largior est messis locorum a reliquis codicibus aut mutatorum aut expletorum, quos ex interpolatione quam ex diversa recensione repetere malim. Certiore autem fun-

---

[1]) E. g. in paucis corruptelis, scribae culpa ortis, docebo, quam facile genuina lectio cod. A^b restitui possit: 991^b 30 *τῶν δεῦρό τ'* codd. rell. *τῶν δ'* A^b, corr. *τῶνδ' ἔσται καὶ αὐτῶν* 997^b 14 *παρ' αὐτὰς καὶ* rell. codd. *παρὰ ταύτας* A^b, corr. *παρὰ τ' αὐτὰς καὶ*.. 1019^b 13 *ἓν ἐστιν* A^b (*E T*) disjuncta verba in unum contrahas *ἔνεστι*, 1003^a 30 *ἢ ὄντα· διὸ καὶ ἡμῖν τοῦ ὄντος ἢ ὂν τὰς πρώτας* rell. codd. *ἢ ὄντας πρώτας* A^b, lectionem verissimam sic restitue *ἢ ὂν .... τὰς πρώτας*, hac enim ratione lacuna ex homoteleuto facillime oriri potuit.

damento hac in re nitimur, si quo loco Alexander cum cod. A^b, Asclepius cum rell. codd. conspirat. Ab his igitur exemplis ordiamur: 984[a] 33 *τοῦτο μὲν γὰρ ἀρχαῖόν τε καὶ πάντες ὡμολόγησαν* om. A^b Alex., add. codd. rell. Asclep., 1016[b] 10 *ἢ ὧν ὁ λόγος μὴ εἷς* om. A^b Alex., add. rell. codd. Ascl., 1018[a] 22 *οἷον αἱ γενέσεις καὶ φθοραί; οἷον* om. A^b Alex., ex falsa interpretatione add. rell. codd. Ascl., 1032[b] 4 *ἐκείνης γὰρ ἀπουσίᾳ ἡ νόσος* A^b, quocum consentire videtur Alex. ita interpretans: *δῆλον ὅτι εἴδός ἐστι τὸ εἶδος τῆς στερήσεως* et *ἀπόντος γὰρ τοῦ εἴδους εὐθὺς ἡ στέρησις τὸ εἶναι ἔχει;* privationem igitur non modo aperiri, sed etiam adesse et existere, dum forma decesserit, et lectio A^b et Alex. significant; illud »*δηλοῦται*« autem rell. codd. exhibent suffragante Asclepio (*κατὰ γὰρ τὴν ἀπουσίαν τῆς ὑγιείας δηλοῦται ἡ νόσος*). His exemplis addam ea, in quibus lectioni codd. A^b eadem Alexandri auctoritas faveat, cum reliquis autem codicibus Asclepii levitas non consentiat; sic 985[a] 10 *καὶ τῶν κακῶν κακόν* om. A^b Alex. add. rell. codd., ut dictionem concinniorem redderent. 986[a] 4 *καὶ ὅσα εἶχον ὁμολογούμενα δεικνύναι* add. codd. praeter A^b structurae explendae causa; 990[b] 14 *κατὰ δὲ τὸ νοεῖν τι φθαρέντος τῶν φθαρτῶν* A^b Alex.; omnes fere rell. codd. constructionem ceteroquin obsoletam, in Aristotele autem non raro obviam[1]) usui accommodantes scripserunt »*φθαρέντων*«; 1034[b] 3 *ἀλλ' ἐὰν μὴ πήρωμα ᾖ; ἀλλ'* ab A^b Alex. neglectum, a rell. codd. additum est, ut structuram expedirent, quamquam ipsum hoc fulcrum, dummodo verba *οὐ γὰρ — ἡμιόνου*

---

[1]) Waitz, org. I. p. 493.

parenthesi incluseris, supervacaneum est; eadem ratione structura expedienda 1048ᵃ 35 sqq. omisso fulcro »ὅτι« (v. 37), ut quod a codd. praeter Aᵇ additum sit[1]); 1022ᵇ 35 τῷ ὅλως μὴ ἔχειν χρῶμα καὶ τῷ φαύλως; »καὶ τῷ φαύλως« ab Aᵇ Alex. omissa, ab iis adjecta sunt, qui triplicem gradationem hoc loco designari non viderunt. Restat, ut eos locos recenseam, ubi aliquod additamentum ab rell. codd. atque etiam ab Alexandro adjectum, ab uno autem cod. Aᵇ omissum inveniatur; sic 981ᵃ 4 verba, quae judicium ab aliena fortasse manu adjectum continent, »ὀρθῶς λέγων« ab uno cod. Aᵇ omittuntur. 988ᵇ 15 οὐ γὰρ ἁπλῶς ἀλλὰ κατὰ συμβεβηκὸς λέγουσιν; haec verba, priorem sententiam illustrantia, ab Alexandro disertim agnoscuntur, ab uno cod. Aᵇ autem omittuntur; eadem ratione verba explicationem addentia συμβέβηκε γὰρ τῷ διπλασίῳ ἀΐδίῳ εἶναι 990ᵇ 33 unus Aᵇ omisit; additamentum etiam magis suspectum 988ᵃ 13 ὅτι αὕτη δυάς ἐστι, τὸ μέγα καὶ τὸ μικρόν ab omnibus praeter Aᵇ exhibetur; conferre denique juvabit 986ᵃ 9. Quodsi haec additamenta non ex diversa recensione deducere malueris, codex Aᵇ ex exemplari etiam antiquiore et integriore, quam Alexandri textus, profectus esse censendus est[2]). At etiamsi cod. Aᵇ ex vetustiore fonte fluxit, ab omnibus tamen correctionibus non integer est. Atque iis interpolationibus, quas in omnes codices irrepsisse supra docui, accedunt aliae codicis Aᵇ propriae, quarum tamen pleraeque ipsa adjunctionis forma suam originem ita produnt, ut nec

[1]) cf. Schwegler a. h. l. tom. IV, 171.

[2]) Tale quid jam suspicatus est Spengelius, vir acutissimus mihique dilectissimus. Münch. Gel. Anz. 1843. p. 908.

magnas turbas excitent, nec multum dignitati codicis detrahant; sic 984ᵇ 11 *τουτέστι τὴν ποιητικὴν τούτων εὖ ἔχειν καὶ καλῶς* add. Aᵇ, 1009ᵃ 26 *τουτέστιν ὂν καὶ μὴ ὄν*, 1023ᵃ 21 *ἄτλας δ' οὐρανὸν εὐρὺν ἔχει κρατερῆς ὑπ' ἀνάγκης* add. Aᵇ, 1012ᵇ 17 *ὃν φησιν αὐτὸς εἶναι ἀληθῆ ἐκεῖνός φησι μὴ εἶναι ἀληθῆ* add. Aᵇ. Graviore sane interpolatione hi loci laborant: 994ᵃ 22 *ἢ* Aᵇ loco *μὴ* [1]) et 1008ᵃ 22 *βαδίσειεν* Alex. Ascl. *νοήσεις* Aᵇ, quam lectionem et ipsam ex glossemate irrepsisse structura parum concinnata monet. Sed paucissima sunt exempla, quibus cod. Aᵇ interpolatum esse certa ratione confirmari possit, nec ea, quae Bonitzius laudavit [2]), omnia huc trahenda sunt, cum alia ex lapsu calami, alia ex diversa recensione repeti possint, in aliis denique quaeratur, num omnino sint interpolata.

Jam affatim indolem cod. Aᵇ examinasse et debitum honorem ei reddidisse mihi videor. Duplici enim de causa magni is codex aestimandus est: primum, quod alteram recensionem nobis servavit, deinde, quia ex exemplari purissimo et integerrimo emanavit. Multo magis autem virtutes hujus codicis illustrabo singulorum locorum tractatione, ad quam dissertationis partem mihi jam procedendum est. Atque hoc munere ita fungar, ut primum ordinem librorum metaphysicorum secutus locos promiscuos corrigere atque emendare studeam, deinde omnes eos locos, qui ad duplicem recensionem spectent, ex continua serie persequar. Hi enim loci viam mihi patefacient

[1]) Caveas tamen, ne lectionem ex ignorato isto minus solemni usu particulae »*μὴ*« interpolatam esse putes; eadem enim vis hujus particulae a cod. Aᵇ servata est 1058ᵇ 34.

[2]) Metaph. I. praef. XVI.

ad quaestionem de cohaerentia librorum metaphysicorum solvendam. Meis autem in conjecturis commendandis brevitati studebo quam maximae, neque in Ar. placita ipsa exponenda excurram.

990ª 22 *ὅταν γὰρ ἐν τῷδὶ μὲν τῷ μέρει δόξα καὶ καιρὸς αὐτοῖς ᾖ, μικρὸν δὲ ἄνωθεν ἢ κάτωθεν ἀδικία καὶ κρίσις ἢ μίξις, ἀπόδειξιν δὲ λέγωσιν ὅτι τούτων μὲν ἓν ἕκαστον ἀριθμός ἐστι, συμβαίνει δὲ κατὰ τὸν τόπον τοῦτον ἤδη πλῆθος εἶναι τῶν συνισταμένων μεγεθῶν διὰ τὸ τὰ πάθη ταῦτα ἀκολουθεῖν τοῖς τόποις ἑκάστοις* .... Verba difficillima antequam explicare conemur, primum, quam abstrusam Pythagoricae philosophiae partem hoc loco Aristoteles tetigerit, adumbremus. Pythagoreos enim naturam numerorum partesque, ex quibus quisque constet, diligentissime rimatos primarias notiones ex similitudine quadam rei numerique cujusque ad numeros retulisse, et veteres commentatores ad A. c. V et VIII extr. et Ar. ipse latius *N.* c. VI exponunt. Jam eosdem philosophos universum mundum ex numeris ita composuisse, ut alii loco alium numerum attribuerint, Alexander a. h. l. tradidit, cui eo major in hac re fides habenda est, quia Ar. ipsius libro *περὶ Πυθαγορείων δόξης*[1])

---

[1]) *τῆς δὲ τάξεως τῆς ἐν τῷ οὐρανῷ, ἣν ἐποιοῦντο τῶν ἀριθμῶν οἱ Πυθαγόρειοι, μνημονεύει ἐν τῷ δευτέρῳ περὶ τῆς Πυθαγορικῶν δόξης* Alex. p. 56, 11 cf. 31, 1 ed. Bon. cf. Jamblich v. Pyth. c. VI et Porphyr. v. Pyth. §. 41. Duo illi libri Alexandri in catalogo D. L. sejuncti esse videntur: *περὶ τῶν πυθαγορείων α'* et *πρὸς τοὺς Πυθαγορείους α'*.

usus est: cf. Ar. ipsum *N.* c. VI 1080ᵇ 18 *τὸν γὰρ ὅλον οὐρανὸν κατασκευάζουσιν ἐξ ἀριθμῶν, πλὴν οὐ μοναδικῶν, ἀλλὰ τὰς μονάδας ὑπολαμβάνουσιν ἔχειν μέγεθος.* Illi vero, ne numeros notionum naturas definientes ac numeros in mundi regionibus dispositos sejungerent, notionem quamque coelesti cuique numero affixerunt. Sic opinionem (*δόξαν*), e dualitate profectam, in locum centro proximum, quippe coelestis dualitatis proprium, transduxerunt, alium numerum idealem alio in loco coelesti collocaverunt. cf. Alex. et cod. Laur. a. h. l. Hinc apparet Pythagoreis ad commenta sua defendenda non suffecisse, ut notiones numeri naturam induisse dicerent, sed etiam addendum illis fuisse, mundi ipsius oras ex numeris constare. Hoc si probaveris, Bonitzium particulam *μὲν* delentem et *συμβαίνει* in *συμβαίνῃ* mutantem errore labi videbis. Neque necessarium est, ut hoc quoque loco verbum »*συμβαίνειν*« de conclusione rem ad absurdum deducenti usurpatum sit; immo vero optime hoc verbo Ar. eo consilio usus est, ut simplici notioni »accidendi« significationem concursus duarum rerum adjungeret (*συμβαίνει*). Sed quaenam sententia ex his verbis elici potest? Atque primum *τὰ συνιστάμενα μεγέθη* neutiquam de notionibus modo memoratis intelligi posse liquet, neque minus certum particula »*ἤδη*« aut praecedentem conditionem aut progressum sententiae indicari. Hoc posterius veteres interpretes Alexander Asclepius glossator cod. Laur. amplexi ita verba interpretati sunt, ut, quo magis regio a centro distaret, eo magis numerum coelestem augescere dicerent. At hanc sententiam his quidem verbis inesse nego, nam non modo Ar., dum notiones coelestibus regionibus as-

signat, non a minore numero injunctarum notionum ad majorem progreditur, sed parem numerum (*δόξα καὶ καιρός — ἀδικία καὶ κρίσις ἢ μίξις*) in utroque loco posuit, sed etiam altero in exemplo addidit »*ἄνωθεν ἢ κάτωθεν*« quae verba, si numerum pro ratione distantiae crescentem respexisset, numquam ne irridens quidem adjicere potuisset. Explosa igitur hac explicatione, ad alteram, ex qua *ἤδη* de re, quamquam non tempore, cogitatione tamen priore accipiatur, confugiamus ita interpretantes: rem probaturi afferunt quamvis harum notionum numerum esse, simulque contingere, ut hoc in loco — nimirum eo, in quo opportunitatem, opinionem aliamve rem esse dicebant — multitudo quaedam consociatorum corporum — i. e. numerus aliquis coelestis, *ἀριθμὸς σωματικός* — jam praesto sit. Neve quis haesitet in verbo »*πλῆθος*« de numero dicto, praesertim cum Pythagorei numerum ex unitate et multitudine (*πλῆθος*) effinxisse videantur[1]). Sed vix hac difficultate superata in alteram irruimus, quid verba sequentia »*διὰ τὸ τὰ πάθη ταῦτα ἀκολουθεῖν τοῖς τόποις ἑκάστοις*« sibi velint. Ad sententiam enim proxime praecedentem »*συμβαίνει δὲ — μεγεθῶν* referri non possunt. Nam ut Pythagoreos coelestes sane numeros ex distantiae ratione disposuisse videri[1]) omittam, haud facile certe ad »*ταῦτα*« affectiones numeri, de quibus antea nil dictum est, subaudiveris. Mihi diu dubio, an non spuria sint verba, nunc peruasi, post *μεγεθῶν* interpungendum, et verba extrema *διὰ — ἑκάστοις* ad conjunctas praecedentes partes

[1]) cf. *N.* c. I. 1087[b] 10 sqq.

[2]) cf. gravissimum testimonium Alexandri de hac re p. 55, 23 sqq. ed. Bon.

ὅτι — μεγεθῶν sive ad concentum naturae loci cujusque coelestis et notionis loco injunctae trahenda esse. Atque aliqua certe ex parte haec explicatio eo probatur, quia re vera dualitatem sive incertam opinionem (δόξαν) sublunari regioni (τοῖς τῆς φιλομεταβάλου γενέσεως)[1]) ἑπτάδα autem sive justam opportunitatem (καιρὸν) planetarum admirabili constantiae (κόσμῳ)[1]) injunxisse videntur. Sed quomodo eadem ratio ad reliquos numeros transferri possit, equidem nondum perspicio; peritiores et sagaciores utinam hanc partem respiciant!

990ᵇ 6. καθ' ἕκαστον γὰρ ὁμώνυμόν τί ἐστι, καὶ παρὰ τὰς οὐσίας τῶν τε ἄλλων, ὧν ἐστὶν ἓν ἐπὶ πολλῶν, καὶ ἐπὶ τοῖςδε καὶ ἐπὶ τοῖς ἀϊδίοις. Alexandro auctore recentiores interpretes extrema verba de discrimine inter res interitui obnoxias sideraque coelestia interpretati sunt. At numquam, quod sciam, ad hoc discrimen designandum his verbis Ar. usus est, neque hic a solemni usu recedi debet, ex quo ideae et res sensibiles hoc ipso discrimine ab Ar. distingui solent cf. 991ᵇ 12, 997ᵇ 7, 12, 1040ᵇ 31, 1060ᵃ 17. Accedit quod Bonitzius, Alexandri explicatione probata, verbis τῶν ἄλλων reliquas categorias substantiis opponi censuit, cui opinioni hac de causa adstipulari nequeo, quia manifesto infra demum (v. 22 ἔτι δέ) de hac imbecilli parte doctrinae idearum agere Ar. orditur. Itaque ipse notionem οὐσίας limitibus primae substantiae vel potius indivisibilium specierum (ἄτομα εἴδη) ita includo, ut sequentibus verbis τῶν ἄλλων species generaque designari

---

[1]) Boeckh, Philolai frag. 47 cf. cod. Laur. in schol. ed. ac. p. 560ᵇ 31.

putem. Commate igitur post »ἐστὶν« sublato, et pronomine ὧν, quod facillime ex repetitis praecedentibus literis oriri potuit, ejecto, et hoc loco et *M.* c. IV. 1079ᵃ2 ita verba explico: singularum enim rerum — i. e. substantiarum primarum — sunt ideae cognomines eaeque a substantiis sejunctae, atque reliquārum — i. e. generum species continentium — unum de multis ponitur et hisce in rebus sensibilibus et in aeternis ideis. Haec mea explicatio libri *Z.* capp. XIV, XV inprimis confirmatur, ubi Ar. non modo ideam generis species sensibiles amplectentem, sed etiam ideam generis praeter ideas singularum specierum ponendam esse docuit.

990ᵇ 35. ὥστ' ἔσται οὐσία τὰ εἴδη· ταὐτὰ δὲ ἐνταῦθά τε οὐσίαν σημαίνει κἀκεῖ; Bonitzius δὲ in γὰρ et οὐσία in οὐσίας vel οὐσιῶν mutanda esse censet dubia Alexandri auctoritate nixus. At, ni fallor, virum doctissimum nexus harum sententiarum latuit. Cum Ar. praecedentibus verbis demonstrasset, non accidens quoddam sed ipsam substantiam ab aliis rebus participari posse, Platonicis autem ideas a rebus sensibilibus participari placuisset, hinc nihil concludi potuit, nisi ideas, ut quae participentur, substantias esse (οὐσία τὰ εἴδη). Sed inde nondum efficitur, ut solarum substantiarum ideae poni debeant, quod probandum Ar. sibi proposuerat. Itaque addidit: »ταὐτὰ δὲ — κἀκεῖ«: si vero ideae sunt substantiae, nec diversa est substantiae notio hisce in rebus sensibilibus et in illo ideali mundo, per se patet res quoque sensibiles, quae quidem ideas participent, substantias esse.

994ᵃ 31. διὸ ἐκεῖνα μὲν οὖν οὐκ ἀνακάμπτει εἰς ἄλληλα, οὐδὲ γίγνεται ἐξ ἀνδρὸς παῖς· οὐ γὰρ γίγνε-

ται ἐκ τῆς γενέσεως τὸ γιγνόμενον, ἀλλὰ μετὰ τὴν γένεσιν. Ar. cum duo genera generationis distinxisset, alterum, quo quid ad perfectiorem statum progrediatur, inverti posse negat; quod ut probaret, addidit: *οὐ γὰρ γίγν....* His in verbis explicandis et veteres commentatores et Bonitzius discrimen in praepositionibus *ἐξ* et *μετὰ* collocatum esse rati ita verba explicuere: res enim generata non ex ipso generationis processu sed post generationem perfectam prodit. Sed ut de hoc praepositionum *ἐξ* et *μετὰ* discrimine vel maxime arguto sileam, hac ratione numquam, cur alterum genus non invertatur, explicari potest. Quid enim? Nonne aqua et ipsa post generationem perfectam provenit? Nec novae rei, de qua Bonitzius dicit, ullum vestigium in Ar. verbis indagare possum. Equidem igitur, dum quis meliorem interpretationem afferat, una litera »*ὅ*« interjecta lego: *οὐ γὰρ γίγνεται ἐκ τῆς γενέσεως τὸ γιγνόμενον, ἀλλ' ὃ ἔστι μετὰ τὴν γένεσιν. Τὸ γιγνόμενον* cum rem ad alteram conditionem tendentem designet (v. 25. *ὡς ἐκ τοῦ γιγνομένου τὸ γεγονός*), hic fere sensus evadit: neque enim ex generatione prodit ea res, quae ad alium statum *feratur*, i. e. *παῖς*, sed ea, quae post generationem *sit* i. e. *ἀνήρ*. In altero enim generationis genere utraque pars (et aqua et aër) in naturam alterius partis transit, in altero autem prior tantummodo pars ad posteriorem nec posterior ad priorem tendit.

999ª 33. *ἔτι εἰ ὅτι μάλιστα ἔστι τι παρὰ τὸ σύνολον, ὅταν κατηγορηθῇ τι τῆς ὕλης, πότερον, εἰ ἔστιν εἶδός τι, παρὰ πάντα δεῖ εἶναί τι, ἢ παρὰ μὲν ἔνια εἶναι παρὰ δ' ἔνια μὴ εἶναι, ἢ παρ' οὐθέν; εἰ μὲν οὖν μηθέν*

ἐστι παρὰ τὰ καθ' ἕκαστα, οὐθὲν ἂν εἴη νοητόν. Verba turpiter lacerata et interpolata! Rectissime Bonitzius sustulit *εἴδός τι* Alex. secutus; nec minore jure verba *ὅταν — ὕλης* ex 995[b] 35 »*λέγω δὲ τὸ σύνολον ὅταν κατηγορηθῇ τι τῆς ὕλης*« illata nec apte annexa exterminare mihi videor. Sed multo turpior interpolatio latet in verbis *παρὰ τὰ καθ' ἕκαστα* ex 999[a] 26 infarsis. Nam modo videas, quomodo haec verba omnem connexum sententiarum foedissime turbent. In initio capitis Ar. quaestionem moverat, an quid sit praeter res singulas necne; jam refutatis iis, qui nihil praeter res singulas ponant (26—29), quaerit, quidnam praeter illas statuendum sit. Atque genera speciesque a rebus singulis sejuncta poni non debere, jam priore in capite se demonstrasse indicat (— 33). Restat igitur, ut formae (*μορφαὶ*) praeter res concretas (*τὰ σύνολα*) ponantur. Hanc vero quaestionem, ut intactam, latius ita tractat, ut primum, ecquid omnino praeter res concretas poni debeat, examinet (—[b] 15), deinde, quasnam praeter res formae sejunctae ponendae sint, quaerat. Atque inde ab *εἰ μὲν οὖν* ([b] 1) usque ad *καὶ τὸ εἶδος* ([b] 16) non quaestionem multo latius patentem, numquid praeter res singulas, sed arctiorem, numquid praeter res concretas statuendum sit, tractari, luculentissime apparet ex postremis verbis, quibus haec disputatio finitur: *εἰ δὲ τοῦτο ἀδύνατον, ἀνάγκη τι εἶναι παρὰ τὸ σύνολον τὴν μορφὴν καὶ τὸ εἶδος* ([b] 16). Sin autem vulgata verba »*παρὰ τὰ καθ' ἕκαστα*« retinueris, omnis disputandi series interrumpitur, quaestione jam supra ([a] 26—29) absoluta nunc rursus tamquam nova (*ἔτι*[a] 33) iterata, nec ullo modo concatenata. Ne multum: illa verba ab eo, qui

falso *παρὰ τὰ καθ' ἕκαστα* subaudivit, interpolata sunt, nec ab Alex. lecta fuisse videntur, ut qui paraphrasi haec verba addat: *οὐδὲν γὰρ ἔσται τὸ νοητόν, ἀλλὰ πάντα τὰ ὄντα αἰσθητά· τοιοῦτον γὰρ τὰ ὅλα καὶ συναμφότερα, παρ' ἃ κεῖται μηδὲν ἄλλο*, quamquam ipse quoque connexum sententiarum non perspexit. Quod autem priorem quaestionem multo latiorem altera dixi, id ex ipso hoc loco Ar. apparet. Nam, si quis quaesiverit, num quid praeter singulas res ponendum sit, et genera et species et singulae formae in censum vocanda sunt; sin quis, num quid praeter res concretas, ea sola, ex quibus res coaluerit, formam dico et materiam, examinari debent.

1003ᵃ 1. *πρότερον γὰρ ἡ δύναμις ἐκείνης τῆς αἰτίας, τὸ δὲ δυνατὸν οὐκ ἀναγκαῖον ἐκείνως πᾶν ἔχειν.* Posterior sententia tantum abest, ut priori opponi possit, ut priorem probet firmetque. Nec quod grammatici de consecutiva vi particulae »*δὲ*« docent, ad eos locos extendi potest, ubi nihil novi addatur, sed unice praecedens sententia confirmetur. Itaque hic legere velim: *τό γε δυνατὸν* .... hoc sensu: prior est potentia actus, nimirum quod possibile est, non omne in actum transducitur. Particulae »*γε*« articulo adjectae, cum nomini ipsi adjicienda fuit, exempla et apud Ar. et apud alios occurrunt: *M.* c. VIII 1083ᵇ 16 *ὅ γ' ἀριθμητικὸς ἀριθμὸς* .... et 1083ᵇ 14 *αἵ γε μονάδας*, Demosth. olynth. I, 27 *τοῖς γε σώφροσι*; cf. Aristoph. nub. v. 1286 *τὸν τόκον ἀπόδος γε.*

1003ᵇ 29. *δῆλον δ' ὅτι οὐ χωρίζεται οὔτ' ἐπὶ γενέσεως οὔτ' ἐπὶ φθορᾶς· ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τοῦ ἑνός.* Multo difficilius exploratu, quid Ar. his verbis significare voluerit, quam, qui sensus inesse non possit. Atque ea qui-

dem interpretatio, quam praeeunte Alexandro Bonitzius de unitatis essentiaeque societate nec in generatione nec in interitu rupta interpretatus instituit, mihi neutiquam probatur. Nam cum in separandis rebus utrique parti aequum jus tribuendum sit, nec altera res sine altera divelli possit, quid, quaeso, putidius inaniusque addi potuit quam ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τοῦ ἑνός? Hac de causa mihi constat ad χωρίζεσθαι genitivum ἀλλήλων suppleri non posse; sed cum aliud quid suppleri nequeat, non video, quomodo lectio vulgata defendi possit. Spreta igitur vulgata ad lectionem deteriorum codd. *HSTG* οὐχ ὁρίζεται confugio. Sed ne hac quidem re multum lucramur, cum quaestio, quo pacto verba explicanda sint, non minoribus difficultatibus irretita sit. Atque facile cui in mentem venire potest, reconditiorem quandam Aristoteleae philosophiae partem, ex qua et generationi et corruptioni essentia quaedam substrata sit [1]), huc trahendam, atque hunc sensum ex nostris verbis eliciendum esse: neque ex generatione, neque ex corruptione essentia exclusa est. At cum rem apertam proponi praemissum »δῆλον« indicet, nec verba facile in hunc sensum detorqueri possint, aliam viam ingredior. Singulae res, cum generatione procreentur, interitu evanescant, tempore inter generationem et interitum intercedente esse jure dicuntur; ideo τὸ ὄν neque in generatione neque in interitu definitur, sed spatium inter hos terminos inclusum proprius entium campus est. Eadem ratione aliqua res una esse dicitur, si jam ex incerto generationis processu in certam formam exculta, necdum ad privationem formae redacta est.

[1]) cf. Γ. c. V, 1010ᵃ 15—23.

1007ª 22. *πάντα γὰρ ἀνάγκη συμβεβηκέναι φάσκειν αὐτοῖς, καὶ τὸ ὅπερ ἀνθρώπῳ εἶναι ἢ ζώῳ εἶναι τί ἦν εἶναι μὴ εἶναι.* Cum formula *ὅπερ ἀνθ. εἶναι* ipsa rei essentia, accidenti opposita, designetur[1]), foeda tautologia ex Bonitziana lectione evadit. Quodsi inter illas formulas hoc loco aliquid discriminis subesse censueris, sequentia verba, *εἰ γὰρ ἔσται τι ὅπερ ἀνθρώπῳ εἶναι, τοῦτο....* parum concinent, quoniam hic certe nullum indicium talis discriminis spectatur. Alexandrum quidem non *τ. η. ε.* sed *τὸ τ. η. ε.* in textu habuisse, ex ejus paraphrasi colligi potest (*λείπει γὰρ αὐτῷ ὁ καὶ σύνδεσμος, ἵνα ᾖ καὶ τὸ τί ἦν εἶναι*), sed ne hoc quidem mihi probatur, immo vero illa verba *τ. η. ε.* ex vetusto glossemate irrepsisse videntur, unde diverso loco in Alex. textu et in cod. A[b] collocata sint. Eadem ratione simillima corruptela sananda est, 1021ª 26. *τὰ μὲν οὖν κατ' ἀριθμὸν καὶ δύναμιν λεγόμενα πρός τι πάντα ἐστὶ πρός τι τῷ ὅπερ ἐστὶν ἄλλου λέγεσθαι αὐτὸ ὅ ἐστιν.* Nam *αὐτὸ ὅ ἐστιν* ex glossemate formulam *ὅπερ ἐστὶν* explicante in textum irrepsisse ipse Alex. a. h. l. docet, ut qui verba *ὅπερ ἐστίν* ipsis illis interpolatoris verbis interpretetur: *ἀλλ' ἔστιν ὃ λέγει, ὅτι αὐτὸ ὅ ἐστιν ἢ ἄλλου λέγεται....*

1008ᵇ 2. *ἔτι ἄρα ὁ μὲν ἢ ἔχειν πῶς ὑπολαμβάνων ἢ μὴ ἔχειν διέψευσται, ὁ δὲ ἄμφω ἀληθεύει; εἰ γὰρ ἀληθεύει, τί ἂν εἴη τὸ λεγόμενον ὅτι τοιαύτη τῶν ὄντων ἡ φύσις; εἰ δὲ μὴ ἀληθεύει, ἀλλὰ μᾶλλον ἀληθεύει ὁ ἐκείνως ὑπολαμβάνων, ἤδη πως ἔχοι ἂν τὰ ὄντα καὶ τοῦτ' ἀληθὲς ἂν εἴη, καὶ οὐχ ἅμα καὶ οὐκ ἀληθές.* sic ducibus plerisque codicibus vetustisque editionibus legunt

[1]) cf. Bonitz. metaph. II p. 176 et Ar. de gener. et corrupt. A. c. III.

Brand. Bekk. Bon. Schwegl.; sed cod. A^b praebet v. 3 *εἰ γὰρ μὴ ἀληθεύει,* v. 5 *μᾶλλον ἀληθεύει ἢ ὁ ἐκείνως.* Sed videamus, quid veteres commentatores, a recentioribus editoribus hic male neglecti, legerint. Atque posteriore loco Alex. cum cod. A^b consentire manifesto apparet ex ipsius verbis: *μᾶλλον μὲν ἀληθεύειν τὸν ἅμα ἄμφω ὑπολαμβάνοντα τοῦ ἐκείνως ὑπολαμβάνοντος.* Nec minus aperte Asclep. in priore loco cum cod. A^b conspirat; incertius est, quid Alex. hoc in priore loco habuerit; sed ne eum quidem aliam lectionem ac cod. A^b secutum esse mihi acrius ejus verba inspicienti persuasi. Nunc examinemus, quid sensus postulet. Atque primum in vulgata lectione illa verba *ἤδη πως ἔχοι ἂν τὰ ὄντα* valde offendunt. Nam si adversarii eum, qui aut hanc aut illam rerum naturam (*ἢ ἔχειν ἢ μὴ ἔχειν*) esse affirmet, verum dicere concedent, non jam aliqua ex parte res incerto flumini exemptae sunt, sed quaestio absoluta est omnis. Quodsi hic lectionem Alex. et cod. A^b *ἀληθεύει ἢ ὁ* probaveris, ne illic quidem vulgatam lectionem retineri posse jam patet. Sed etiam a rebus ipsis vulgata lectio profligatur. Nam si infitiatores principii contradictionis sua commenta ex rerum natura confirmant, cur, quaeso, id est fugientis rationem non reddentis [1]), Aristoteli inprimis orationis veritatem ex rerum natura metienti [2]). Servata igitur lectione cod. A^b et veterum commentatorum, verba hunc in modum interpretamur: jam si eum, qui aut hanc aut illam rerum naturam esse affirmet, errare vos con-

[1]) Bonitz. a. h. l.

[2]) cf. Cat. c. XII, 14^b 18, metaph. 993^b 30, et 1051^b 1—8.

tenditis, isne, qui rem ita se habere et simul non se habere declaret, verum dicit? Atque si et ipse fallitur — valde enim isti cavebant, ne quem verum dicere concederent — quomodo vos, Heracliti asseclae, contendere potestis, talem esse rerum naturam, nimirum ita comparatam, ut res perpetuo flumine volvantur, nec quidquam immotum maneat. Etenim isti, qui ipsis his commentis de perpetuo flumine eos, qui rerum naturam definientes circumscripserant, redarguebant, iis, qui affirmationem cum negatione ubique conjungerent, adstipulari debebant. Quodsi hos quoque verum dicere negant, doctrinae suae ipsi fundamentum subtrahunt. Jam si adversarii paululum remissiores verum ne illum quidem dicere; sed tamen veritati magis appropinquare dixerint, aliqua certe ex parte res definitae sunt: hunc enim veriorem illo sententiam ferre, illorum pertinaciae jam extortum est. Neve quis hoc argutius disputatum esse censeat; subtilitas quaedam ab astutia adversariorum, quidquid quis dixerit in oppositam contradictionis partem inverti posse contendentium provocata fuit. Sequentis denique enunciationis ratio etsi — ne ullam rem fraudulenter omittam — vulgatae lectioni patrocinari videtur, ne in nostra quidem explicatione importuna est. Nam cum antea Ar. posterioris tantum partis dilemmatis rationem habuisset, nunc utramque partem respexit, nec opus fuit, ut priorem partem, per totum caput jam disceptatam, denuo speciatim excuteret.

1013[b] 16. *ἅπαντα δὲ τὰ νῦν εἰρημένα αἴτια εἰς τέτταρας τρόπους πίπτει τοὺς φανερωτάτους.* Cum Ar. exempla in priore capitis parte allata in quatuor causarum genera jam redegisset ([a] 25—33), parum concinne Ar. nunc, tam-

quam nihildum de hac re disputatum sit, illa exempla in quatuor genera cadere demonstraret, idque nulla subtiliore argumentatione addita. Sed si exempla ipsa, quae Ar. hoc loco affert, perlustraverimus, nova quaedam antea non memorata addita esse videbimus (*τὰ στοιχεῖα συλλαβῶν, πῦρ, γῆ, ἰατρός*). Itaque lectionem cod. A[b] *ἅπαντα καὶ τὰ νῦν εἰρημένα* (exempla cum omnia tum antea allata) veram esse duco. Sed alio quoque mendo haec verba inquinata esse mihi videntur. Ii enim *τρόποι*, qui hic recensentur, infra speciebus opponuntur, quae eodem verbo »*τρόποι*« denotantur nec addito adjectivo »*ἧττον φανεροί*« a prioribus *τρόποις* distinguuntur, v. 28 *τὰ μὲν οὖν αἴτια ταῦτα καὶ τοιαῦτά ἐστι τῷ εἴδει, τρόποι δὲ τῶν αἰτίων ἀριθμῷ μέν εἰσι πολλοί.* Quamquam igitur omnes codd. metaphysici et Themistius Simpliciusque ad phys. B. c. III. lectionem »*τρόπους*« in priore loco tuentur, nescio tamen, an cum praestantissimo cod. physico *E* et hic et illic legendum sit »*τόπους*.« *Τόπους* in plures modos divisos habes top. Z. c. II. Praeterea notandum est, duas enunciationes, quae nostro in capite adduntur nec in libris physicis exstant, explicationi praecedentium verborum inservire: 14[a] 3 *ὅτι ὁ Πολύκλειτος ἄνθρωπος, ὁ δὲ ἄνθρωπος ζῷον* et 14[a] 6 *ἀλλὰ μὴ μόνον Πολύκλειτος ἢ ἄνθρωπος.* Attamen ex tam incerta re gravius quidquam colligere non auserim.

1014[b] 18. *ἔτι ὅθεν ἡ κίνησις ἡ πρώτη ἐν ἑκάστῳ τῶν φύσει ὄντων ἐν αὐτῷ ᾗ αὐτὸ ὑπάρχει.* Fugit interpretes Alexandrum in textu habuisse *ἡ πρώτη ἢ ἐν ἑκάστῳ* (*οὕτω δὲ εἴη ἂν τὸ ἢ ἐξηγητικὸν τοῦ πρώτη* Alex.), unde interpositum pronomen *ἥτις* desiderat et totam sententiam detorquet. Sed uno apice mutato lege *ὅθεν ἡ κίνησις*

ἡ πρώτη ἡ ἐν ἑκάστῳ et habes sententiam multo nitidiorem. Nam Ar. non premere vult: unde primus motus rebus innatus est, sed id spectat: unde primus motus (proficiscitur), qui rebus insitus sit.

1015ª 11. μεταφορᾷ δ' ἤδη καὶ ὅλως πᾶσα οὐσία φύσις λέγεται διὰ ταύτην, ὅτι καὶ ἡ φύσις οὐσία τίς ἐστιν. Rebus, quae natura creantur (v. 11 τῆς γενέσεως), substantiae universae, et natura generatae et arte confectae, opponuntur, quas et ipsas propter formam (διὰ ταύτην) φύσεις appellari Ar. dicit. Jam quae sequuntur equidem non perspicio: ὅτι καὶ.... Etenim cum omnes substantias φύσεις jure dici, atque etiam res artificiales quodammodo naturarum dignitatem sibi vindicare (ἡ τέχνη γιγνομένη οὐσία φύσις τίς ἐστιν) Ar. demonstrandum fuerit, non afferre debuit, naturam esse substantiam quandam. Accedit, quod valde dubium est, quo sensu ἡ φύσις, quam vocem multis modis usurpari Ar. hoc ipso capite monet, hoc in loco accipienda sit. Neque Alexander hanc lectionem ante oculos habuisse videtur. Aut illa verba in textu Alexandri defuerunt, et postea ex perverso glossemate in textum illata sunt, aut Alexander tale quid habuit: ὅτι ἡ τῶν τέχνῃ γιγνομένων οὐσία φύσις τίς ἐστιν.

1016ᵇ 17. τὸ δὲ ἑνὶ εἶναι ἀρχὴ τινί ἐστιν ἀριθμῷ εἶναι; ἀρχῇ cod. Aᵇ. In sequentibus Ar. neutiquam docet, unitatem principium numeri esse, sed eo tendit, ut unitatem, primam omnium rerum cognitarum mensuram, (ἀρχὴ οὖν τοῦ γνωστοῦ περὶ ἕκαστον) principium quoddam esse probet. Qui sententiarum nexus luculentissime apparet ex proxima enunciatione causam rei propositae tradenti τὸ γὰρ πρῶτον μέτρον (primam enim mensuram uni-

tatem esse sumitur) ἀρχή. Jam quid significat illud τινί (v. 18)? Num aliis in rebus aliud est principium numeri? Ne longior sim: ἀριθμοῦ, jam ob diversam formam annexionemque in diversis codicibus suspectum, est glossema quoddam ex 1021ᵃ 13 τὸ ἓν τοῦ ἀριθμοῦ ἀρχή et 1052ᵇ 23 διὸ τὸ ἓν ἀριθμοῦ ἀρχὴ ᾗ ἀριθμός perverse huc inlatum. Ejecto igitur hoc commenticio verbo lectio cod. Aᵇ, quocum Alex. fortasse conspirat, arcessenda est: τὸ δ' ἑνὶ εἶναι ἀρχῇ τινί ἐστιν εἶναι, casu dativo ἀρχῇ per attractionem abunde munito.

1018ᵇ 9. πρότερα καὶ ὕστερα λέγεται ... τῷ ἐγγύτερον ἀρχῆς τινὸς ὡρισμένης, ἢ ἁπλῶς καὶ τῇ φύσει ἢ πρός τι ἢ ποῦ ἢ ὑπό τινων. Principium, unde quid prius vel posterius dicatur, aut a natura ipsa (φύσει) constitutum est, aut ab hominum arbitrio pendet; quodsi a principio natura constituto computamus, aliquid simpliciter, sin ab altero arbitrario, respectu certae normae (πρός τι ἢ ποῦ) prius dicitur. Hunc sententiae connexum si probaveris, lectio vulgata ferri nequit: aut legendum est ἢ ἁπλῶς καὶ τῇ φύσει ἢ πρός τι ἢ ποῦ καὶ ὑπό τινων, ita ut optime verba ὑπό τινων praecedenti φύσει respondeant, aut leniore medela particula ἢ inter verba ποῦ et ὑπό interjecta ejicienda est.

1019ᵇ 7. εἰ δ' ἡ στέρησίς ἐστιν ἕξις πῶς, πάντα τῷ ἔχειν ἂν εἴη τι, ὁμωνύμως δὲ λεγόμενον τὸ ὄν. Corruptelam his verbis insidere vidit Bonitzius, difficilior est medela. Atque verba δὲ λεγόμενον τὸ ὄν ex interpolatione orta esse ipsa forma, aliter in alio codice detorta, ostendit. Primam autem interpolationis formam auguror fuisse hanc: ὁμωνύμως δὲ λεγόμενον. Praeterea verba

cod. A[b] τῷ ἔχειν — δυνατὸν manifesto ex sequentibus v. 8 perperam huc tracta sunt. Idcirco legas sic: πάντα τῷ ἔχειν ἂν εἴη τι, εἰ δὲ μή, ὁμωνύμως, ὥστε . . .; verba enim εἰ δὲ μή propter similitudinem praecedentium literarum in rell. codd. praeter A[b] facillime excidere potuerunt. Quam apte vero extrema verba Ar. adjecerit, facile intellectu est. Etenim si quis propter solam vocis ambiguitatem verbum »ἔχειν« ad privationem designandam adhiberi dixerit, is homonymice saltem omnia τῷ ἔχειν possibilia esse concedet. 1020[b] 17. τὰ δὲ πάθη τῶν κινουμένων ᾗ κινούμενα, καὶ αἱ τῶν κινήσεων διαφοραί. Subjecti munere verba τὰ δὲ, praedicatorum πάθη et διαφοραί funguntur. Deleas igitur cum cod. A[b] articulum αἱ iteratione praecedentium literarum ortum, quia nulla causa investigari potest, cur hoc in loco praedicato articulus additus sit. 1020[b] 7. καὶ ὅλως ὃ παρὰ τὸ ποσὸν ὑπάρχει ἐν τῇ οὐσίᾳ. Quid? illudne alterum quoque in notione substantiali inclusum est? at id ipsum Ar. aperte proximis verbis negat: οὐσία γὰρ ἑκάστου ὃ ἅπαξ. Confidenter scribas ὃ παρὰ τὸ ἐν τῇ οὐσίᾳ ποσὸν ὑπάρχει (sc. ἀριθμοῖς); conjectura certa Alexandri auctoritate confirmatur sic interpretati: καὶ ὅλως πᾶν ὃ παρὰ τὸ ποσὸν καὶ τὴν οὐσίαν . . . ἐν τῷ ἀριθμῷ ὑπάρχει.

1021[b] 29. τέλος δὲ καὶ τὸ οὗ ἕνεκα ἔσχατον; levissima mutatione τέλος καὶ τὸ οὗ ἕνεκα, ἔσχατον ὄν scribendum esse verisimile fit collato phys. B. c. II, 194[a] 29. ὧν γὰρ συνεχοῦς τῆς κινήσεως οὔσης ἔστι τι τέλος τῆς κινήσεως, τοῦτο ἔσχατον καὶ τὸ οὗ ἕνεκα. Causam enim cur quid fiat (τὸ οὗ ἕνεκα) finem (τέλος) esse per mediam notionem extremi (ἐσχάτου) demonstratur.

1023b 26. *Ὅλον λέγεται οὗ τε μηθὲν ἄπεστι μέρος ἐξ ὧν λέγεται ὅλον φύσει.* Hac in definitione ipsam rem definiendam redire apparet. Quam negligentiam etsi omnibus ex locis expelli non posse bene cognitum habeo, hoc tamen in loco aegre fero, quia verba *ἐξ ὧν φύσει* (oppos. *τέχνῃ*) rei jam satisfacerent. Accedit, quod Alexander *ὅλον φύσει* inverso ordine habuisse videatur. Inde suspicor verba *λέγεται ὅλον* ex initio capitis per librarii lapsum olim repetita esse.

1024b 4. *ἔτι ὡς ἐν τοῖς λόγοις τὸ πρῶτον ἐνυπάρχον, ὃ λέγεται ἐν τῷ τί ἐστι, τοῦτο γένος.* Cum *λόγος* hoc loco ipsam definitionem (*ὁρισμὸν*) designet, absurdius Ar. diceret: praeterea in definitionibus prima pars, quae in definitione dicatur. Ut igitur non dubito, quin corrupta sit vulgata lectio, ita haesito, quae lectio ab Aristotelis manu profecta sit. Leni fortasse medela legendum est: *ὃ λέγεται εἶναι τὸ τί ἐστι, τοῦτο...* Hic enim Ar. notionem *τοῦ τί ἐστι* angustioribus finibus ita coercuisse videtur, ut duarum partium exactae definitionis posterior differentiam specificam continens qualitatem (*ποιότητα* v. 6), prior genus declarans ipsam naturam (*τὸ τί ἐστι*) [2]) indicet.

1024b 25. *λόγος δὲ ψευδὴς ὁ τῶν μὴ ὄντων ᾗ ψευδής.* Sententiam perplexam esse Bonitzius aperte exposuit, sed facilis est medicina verbo *ψευδής* in *ψευδῆ* mutato. Nam cum Ar. priore capitis parte, quae res falsae dicendae sint, jam declarasset, nunc orationem (*λόγον*) falsam

---

[1]) Z c. XII.

[2]) cf. Schwegler, metaph. IV, 378.

ex rebus falsis explicare potuit. Cum vero Ar. plura genera entium et non entium distinxisset, optime se habent verba *τῶν μὴ ὄντων ᾗ ψευδῆ*, quo simili sensu antea dixit: *οὕτω γὰρ οὐκ ὄντα ταῦτα* (b 21).

1026a 13. *ἡ μὲν γὰρ φυσικὴ περὶ ἀχώριστα μὲν ἀλλ' οὐκ ἀκίνητα, τῆς δὲ μαθηματικῆς ἔνια περὶ ἀκίνητα μὲν οὐ χωριστὰ δ' ἴσως, ἀλλ' ὡς ἐν ὕλῃ· ἡ δὲ πρώτη καὶ περὶ χωριστὰ καὶ ἀκίνητα.* Nescio, an contra omnium codicum veterumque commentatorum auctoritatem scribendum sit: *ἡ μὲν γὰρ φυσικὴ περὶ χωριστὰ μέν.* Nam, ni vehementer fallor, haec vult Ar., physicam et mathematicam cum prima philosophia alia in re convenire, in alia discedere; quodsi prima philosophia de rebus et per se existentibus (*χωριστοῖς*) et immotis (*ἀκινήτοις*) agat, in mathematica res immotas quidem sed non per se existentes, in physica autem res per se quidem existentes sed non immotas tractari. Atque haec conjectura necessario a significatione particularum *μὲν — ἀλλ' οὐ* flagitari videtur. Nam cum res per se existentes rebus inhaerentibus dignitate superiores sint, istis autem particulis descensus a graviore ad inferiorem rem indicetur, non *ἀχώριστα* sed *χωριστὰ* eadem ratione dicendum fuit, qua proxima in parte descenditur *περὶ ἀκίνητα μὲν οὐ χωριστὰ δ' ἴσως.* Quod ad rem ipsam attinet cf. H c. I. 1042a 7 *ὁμολογούμεναι μὲν* (sc. *οὐσίαι*) *αἱ φυσικαί*· de quibus paullo infra a 29 dicta sunt haec: *τρίτον δὲ τὸ ἐκ τούτων οὐ γένεσις μόνον καὶ φθορά ἐστι, καὶ χωριστὸν ἁπλῶς.* Haec dum retracto et rursus Schwegleri commentarios inspicio, illum jam in eandem sententiam incidisse video, quo magis Bonitzium miror vulgatam lectionem tuentem. Fortasse

vir tutissimus vulgatam munitam duxit verbis praecedentibus 25b 26 ἡ φυσικὴ θεωρητική τις ἂν εἴη ... καὶ περὶ οὐσίαν τὴν κατὰ τὸν λόγον ὡς ἐπὶ τὸ πολύ, οὐ χωριστὴν μόνον. At haec non de rebus dicta sunt, de quibus physicus agat, sed qua ex parte physico res tractandae sint. Quodsi haec verba urgere volueris, ne de mobilibus quidem rebus physicus agere dici debuit; notio (οὐσία) enim ipsa omni certe motu caret.

1025b 18. ἐπεὶ δὲ καὶ ἡ φυσικὴ ἐπιστήμη τυγχάνει οὖσα περὶ γένος τι τοῦ ὄντος (περὶ γὰρ τοιαύτην ἐστὶν οὐσίαν ἐν ᾗ ἡ ἀρχὴ τῆς κινήσεως καὶ στάσεως ἐν αὐτῇ), δῆλον ὅτι οὔτε πρακτική ἐστιν οὔτε ποιητική. Conclusio fit non modo ex priori parte ἐπεὶ — ὄντος, sed etiam ex verbis uncis inclusis, quia rerum poeticarum principium in fabricatoris arte, rerum physicarum autem in ipsa natura positum sit (b 22 — 27). Hac de causa nescio, an uncas tollere praestet.

1028b 18. ἔτι παρὰ τὰ αἰσθητὰ οἱ μὲν οὐκ οἴονται εἶναι οὐθὲν τοιοῦτον, οἱ δὲ πλείω καὶ μᾶλλον ὄντα ἀΐδια. Ideae Platonicae non magis rebus sensibilibus aeternae sunt, sed hac in re ipsa a rebus sensus ferientibus differunt, quod hae interitui obnoxiae, illae aeterno vigore gaudent. Idcirco virgula ante ὄντα interpungendum esse duco, ita ut ad μᾶλλον suppleatur τοιαῦτα sive οὐσίας, extremis autem verbis causa majoris dignitatis indicetur.

1030a 9. ἔσται γὰρ ὄνομα ὁτῳοῦν λόγῳ ταὐτόν. Ut eadem res et simplice nomine et definitione rem circumscribente designari potest, ita nomen et definitio haudquaquam idem sunt. Itaque ταὐτόν, ex praecedentibus fortasse verbis (v. 8) importune huc intrusum ex fide cod.

A[b] omittendum esse censeo, unde hic census existit: cuivis enim orationi designandae simplex nomen inveniri potest. Neve vulgatam lectionem Alexandri auctoritate tueare, quippe qui *ταὐτὸν σημαῖνον* legisse videatur.

1030[b] 18. *καὶ οὐ κατὰ συμβεβηκός γε οὐθ' ἡ κοιλότης οὐθ' ἡ σιμότης πάθος τῆς ῥινός.* Non per accidens sed per se (*καθ' αὑτὰ*) substantiae inhaerere dici, quorum in definitionibus substantiae, quibuscum conjuncta sint, necessario sint assumendae, ex exemplis hic allatis colligitur et aperte docetur an. post. A. c. IV 73[a] 37 sqq. *καὶ ὅσοις τῶν ἐνυπαρχόντων αὐτοῖς αὐτὰ ἐν τῷ λόγῳ ἐνυπάρχουσι τῷ τί ἐστι δηλοῦντι.* Sed cavositas non ita est comparata, ut de uno naso aduneo dicatur, sed ad omnem rem cavam, quaecunque denique fuerit, pariter referri potest. Itaque verba *οὐθ' ἡ κοιλότης οὐθ'*, perverse ex praecedentibus ([a] 17) illapsa, expellenda esse censeo.

1031[a] 25. *ἀλλ' ἴσως γ' ἐκεῖνο δόξειεν ἂν συμβαίνειν, τὰ ἄκρα γίγνεσθαι ταὐτὰ κατὰ συμβεβηκός.* Terminorum extremorum (*τῶν ἄκρων*)[1]) partes in praecedenti exemplo haec duo praedicata: *ἀνθρώπῳ εἶναι* et *τὸ λευκῷ ἀνθρώπῳ εἶναι* ad unum subjectum relata sustinuerant. Sed cum haec quidem non pariter de re subjecta praedicentur, atque hanc ipsam ob causam termini inverti nequeant, hinc concludi non potest alterum alteri idem valere. Sed si praedicata ita comparata sunt, ut utrumque per accidens ad subjectum referatur (*οἷον τὸ — εἶναι* v. 27, 28) vitium in praedicatis antea sumtis commissum evitatur.

---

[1]) cf. Waitz, org. I, 382.

Hinc liquet unam lectionem cod. A[b] *ταὐτὰ τὰ κατὰ συμβεβηκός* sensui satisfacere. Cardo enim discriminis prioris ac posterioris exempli in diversa ipsorum praedicatorum natura vertitur.

1031[b] 27. *τὸ μὲν γὰρ ἀνθρώπῳ καὶ τὸ λευκῷ ἀνθρώπῳ οὐ ταὐτό, τῷ πάθει δὲ ταὐτό.* Cum accidens quoddam (e. g. *λευκὸν*) ambiguo sensu et de affectione ipsa (*πάθει*) et de re affecta (*ᾧ συμβέβηκε λευκόν* 25) dicatur, orationem quae sit accidentis natura indicantem et idem et non idem valere ac rem ipsam (v. 26) Ar. praemisit. Definitio enim, ut quae simplicem rei naturam explicet, ipsum affectum aequat, non rem affectam. Hanc ob causam in exemplo rem illustrante (v. 27, 28) *τὸ τί ἦν εἶναι* sc. *λευκῷ* subjectum utriusque membri esse debet, et restituta vulgata lectione ita construendum est: *τῷ μὲν γὰρ ἀνθρώπῳ καὶ* (immo vero, vi corrigendi)[1]) *τῷ λ. α. οὐ ταὐτό, τῷ πάθει δὲ ταὐτό* sc. *ἐστι τὸ τί ἦν λευκῷ εἶναι.* Praeterea in lectione a Bonitzio recepta et a Schweglero probata talem conformationem exspectas *τῷ μὲν γὰρ εἶναι ὁ α. κ. ὁ. λ. α. τ. τῷ πάθει δὲ* vel *καθ' αὑτὰ μὲν γὰρ. . . .*

1032[b] 28. *τοῦτο δ' ἔσχατον τὸ ποιοῦν, καὶ τὸ οὕτως μέρος ἐστὶ τῆς ὑγιείας καὶ τῆς οἰκίας, οἷον οἱ λίθοι, καὶ τῶν ἄλλων.* In verbis perdifficilibus et aperte depravatis sanandis vereor, ne Bonitzius ab Ar. ratione aberraverit hanc conformationem enunciationis proponens: *τὸ ποιοῦν* (int. *ἡ τρῖψις*) *τοῦτο* (sc. *τὴν θερμότητα*) *ἔσχατον ὂν καὶ αὐτό πως μέρος ἐστὶ τῆς ὑγ. . . . ὁμοίως ὥσπερ τῆς*

---

[1]) cf. Vigeri idiot. g. l. ed. III. p. 525.

οἰκίας οἱ λίθοι εἰσὶ μέρος καὶ τῶν ἄλλων ἄλλα. Quo pacto enim explicari potest frictionem corporis, a medico ad excitandum calorem adhibitam, eadem ratione partem sanitatis dici qua lapides, materiem aedificii? Immo vero, si quid video, obscuris his verbis ipsum illud discrimen indicatur, quod inter frictionem exstructionemque et calorem corporis lapidesque aedium intersit. Jam cum codd. A[b] H[b] exhibeant *τὸ ποιοῦν τὸ μέρος,* quibus Asclep. assentitur, suspicor in utraque codd. familia aliquid ob verba similiter cadentia excidisse atque hanc primam textus formam fuisse: *ἡ θερμότης τοίνυν ἡ ἐν τῷ σώματι* (cf. 34[a] 26. *θερμότης γὰρ ἡ ἐν τῇ κινήσει θερμότητα ἐν τῷ σώματι ἐποίησεν· αὕτη* (int. *ἡ ἐν τῷ σώματι*) *δ' ἐστὶν ἢ ὑγ.*) *ἢ μέρος . . . πλειόνων — τοῦτο δ' ἔσχατον τὸ ποιοῦν τὸ μέρος — καὶ τὸ οὕτως* (i. e. quod in ipso corpore sanando et domo aedificanda inest) *μέρος ἐστὶ τῆς ὑγιείας καὶ τῆς οἰκίας.*

1034[a] 19. *ὑπὸ γὰρ τούτων κινηθήσεται τῶν οὐκ ἐχόντων μὲν τὴν τέχνην, κινεῖσθαι δὲ δυναμένων αὐτῶν, ἢ ὑπ' ἄλλων οὐκ ἐχόντων τὴν τέχνην ἢ ἐκ μέρους.* Haec verba scribarum culpa atque interpolationibus turpiter foedata sunt. Ar. distinxit inter eas res, quae nonnisi artificis manu adjuvante moveri possint, et eas, quae artifice non indigeant; (— v. 18) has enim res aut ab aliis artis expertibus aut ipsarum aliqua parte (*ἐκ μέρους* cf. Alex.) effici. Sed ut hoc rerum genus suo vigore in motum transduci potest, ita nihil interest, ut rudes motores sponte moveantur. Jam cum nec bruta nec ulla res artis expers dici possit, homines autem omnes insito vigore moveantur, omnino non intelligitur cur addantur verba *κινεῖσθαι*

— *αὐτῶν*. Quodsi quis dixerit, omnes quidem homines innata vi moveri, sed non omnes eum in modum, ut haec vel illa res procreetur: tum multo magis verbum agens quam patiendi exspectari urgere nolo, id autem certum apparet, homines ad rem efficiendam minus habiles artis imperitia premi solere. Atqui hinc sensus contrarius efficeretur. Etenim ii, qui sponte hunc in modum moveri possent, homines non rudes sed callidi ac periti essent. Sed haec omnia argutius disputata sunt. Manifesto enim verba *κινεῖσθαι* — *τέχνην* ex glossemate in textum irrepserunt. Hanc ad sententiam me primum duxit fides cod. A[b] *μὲν* et *ἢ* omittentis, confirmavit Alexandri paraphrasis. Atque adeo ex ipso Alexandro intelligitur, qui illa interpolatio orta sit. Nam glossator quidam in margine adjecerat ad *κινηθήσεται* subaudienda esse *τὰ κινεῖσθαι δυνάμενα αὐτὰ* vel negligentius *κινουμένων ὑπ' αὐτῶν*, alius quidam variam lectionem *ὑπ' ἄλλων* — *τέχνην* ad *τῶν οὐχ* — *τέχνην* adnotaverat. His glossematis in textum illatis particulae *μὲν* et *ἢ* ad verba interpolata cum genuinis conjungenda interpositae sunt; ab extrema tamen labe cod. A[b] integer mansit. Difficultates igitur in corruptela hujus enunciationis quaesivi; sequentia enim verba, *ὅτι τρόπον τινὰ πάντα γίγνεται ἐξ ὁμωνύμου, ὥσπερ τὰ φύσει, ἢ ἐκ μέρους ὁμωνύμου, οἷον ἡ οἰκία ἐξ οἰκίας . . . ἢ ἐκ μέρους ἢ ἔχοντός τι μέρος*, facile explicari possunt, modo quis, ipsum Ar. secutus, duplicem vim verborum *ἐκ μέρους* recte assecutus erit: omnia fiunt aut ex synonymis (*ἄνθρωπος ἐξ ἀνθρώπου*), aut ex eo, quod aliqua ex parte synonymum dicatur (*ἡ οἰκία ἡ ἔχουσα ὕλην ἐκ τῆς ἄνευ ὕλης οἰκίας*), aut ex parte quadam sc. rei syno-

nymae vel rei ipsius (ὑγίεια ἐξ ὁμαλότητος, μέρους τῆς ὑγιείας οὔσης) aut denique ex eo, quod partem rei sequatur. Bonitzius atque Schweglerus ea de causa mihi falli videntur, quia praepositionem ἐξ in secundo divisionis membro non ad simplex verbum μέρους sed ad conjuncta verba μέρους συνωνύμου retulerunt. Quodsi rationem inter tertium et quartum membrum intercedentem respexissent, praepositionem ἐξ primo et tertio membro praefixam suam vim ad inferiora membra, secundum et quartum dico, propagare vidissent.

1036ᵃ 17. εἰ μὲν γάρ ἐστι καὶ ἡ ψυχὴ ζῷον ἔμψυχον ἢ ἕκαστον ἡ ἑκάστου. Lectionem Alex. et codd. *E* Aᵇ ζῷον ἢ ἔμψυχον facillime mutes in ζῷον ᾗ ἔμψυχον, cum Ar. etymologia probet, naturam animalis in anima positam esse, cf. 1035ᵇ 14 ἐπεὶ δὲ ἡ τῶν ζῴων ψυχή (τοῦτο γὰρ οὐσία τοῦ ἐμψύχου). Similem sed violentiorem emendandi viam ingressus est Schweglerus.

1040ᵃ 17. καὶ τοῦτο ἐπὶ μὲν τῶν ἀϊδίων καὶ ἀνάγκη εἶναι, πρότερα γ' ὄντα καὶ μέρη τοῦ συνθέτου· ἀλλὰ μὴν καὶ χωριστά, εἴπερ τὸ ἄνθρωπος χωριστόν· ἢ γὰρ οὐθὲν ἢ ἄμφω. εἰ μὲν οὖν μηθέν, οὐκ ἔσται τὸ γένος παρὰ τὰ εἴδη· εἰ δ' ἔσται, καὶ ἡ διαφορά. εἰθ' ὅτι πρότερα τῷ εἶναι· ταῦτα δὲ οὐκ ἀνταναιρεῖται. ἔπειτα δὲ εἰ ἐξ ἰδεῶν αἱ ἰδέαι (ἀσυνθετώτερα γὰρ τὰ ἐξ ὧν) ἔτι ἐπὶ πολλῶν δεήσει κἀκεῖνα κατηγορεῖσθαι. Sententiae sunt intricatissimae et paene desperatae, nescio tamen, an leni medicina adhibita in probabiliorem certe modum explicari possint. Voce enim τοῦτο in ταῦτα mutata, legas καὶ ταῦτα ἐπὶ μὲν τῶν ἀϊδίων κ. α. ἐ., πρότερα γ' ὄντα..., quae conjectura eo magis probatur, quia

sic tantum verba *πρότερα γ' ὄντα* habent, unde pendeant. Hac mutatione facta particulas *ἀλλὰ μὴν* praecedentibus *ἐπὶ μὲν τῶν ἀϊδίων* respondere censeas et sic interpreteris: animal et bipes (*ταῦτα*), ex quibus notio hominis constat, pari jure ac homo ipse dignitatem aeternae naturae (*ἐπὶ τῶν ἀϊδίων*) sibi petunt, ut quae priora et partes rei compositae sint. Sed non modo aeterna sunt sed etiam sejuncta (*χωριστά*) et per se existentes [1]), quandoquidem homo ipse sejunctae substantiae honore fruitur. Atque haec quidem extrema sententia duplice ratione firmatur: altera proficiscitur ab ipsa doctrina Platonica generi (*ζῷον*) aeternae substantiae dignitatem injungenti, unde sequi, differentiam (*δίπουν*) non minore jure idem sibi vindicare (19 *ἢ γὰρ* — 21 *διαφορά*); altera genus atque differentiam, ut priora, homini, ut posteriori, praeponenda esse urget (21 *εἶθ'* — 22 *ἀνταναιρεῖται*). Hac in explicatione extremis verbis non ea, quae supra dicta sunt (18 *πρότερα γ' ὄντα*), recoquuntur, sed eadem res illic aeternitatem, hic absolutam substantialitatem demonstrat. Levius denique mendum tollere libet. Genuinam enim lectionem *ἔτι δὲ* (13), commenticiam *ἔπειτα δὲ* esse Alex. testatur. Nostrum vero in textum et genuina et interpolata lectio immigraverunt, modo diverso loco intrusae, unde legendum esse duco: *ἔτι δὲ εἰ ἐξ ἰδεῶν αἱ ἰδέαι* (*ἀσυν.* — *ὧν*) *ἐπὶ πολλῶν δεήσει*.... Vulgata in lectione *ἔτι* non modo omni vi carere, sed etiam importunum esse non est, cur explanem.

1040ᵇ 10. *μάλιστα δ' ἄν τις τὰ τῶν ἐμψύχων ὑπο-*

---

[1]) cf. 1039ᵃ 30 sqq.

λάβοι μόρια καὶ τὰ τῆς ψυχῆς πάρεγγυς ἄμφω γίγνεσθαι ὄντα καὶ ἐντελεχείᾳ καὶ δυνάμει, τῷ ἀρχὰς ἔχειν κινήσεως ἀπό τινος ἐν ταῖς καμπαῖς. Cum antea in universum de animalium partibus (*μόρια τῶν ζῴων* 40ᵇ 6) quaesitum, novam autem rem afferri particulis *μάλιστα δὲ* indicatum esset, Schweglerus verissime *τὰ τῶν ἐμψύχων* ferri non posse perspexit, quoniam notio *ἐμψύχων* notionem *ζῴων* aequat. Sed infelicem et temerariam ejus conjecturam »*ἐντόμων*« verba sequentia aspernantur *διὸ ἔνια ζῷα*... Nam ex his verbis apertum fit, certum animalium genus nondum nominatum esse. Itaque quaenam illa animalia sint, non aperte pronunciatum sed paullo obscurius adumbratum esse debet. Jam quominus cum Bonitzio ac Schweglero *τὰ τῆς ψυχῆς* a verbis praecedentibus *τὰ τῶν ἐμψύχων μόρια* dissolvamus, prohibent sequentia verba, unam rem illustrantia: *τῷ ἀρχὰς — καμπαῖς.* Quodsi haec ad solas partes animalium referre volueris, inverso certe ordine dicendum fuit: *τὰ τῆς ψυχῆς καὶ τὰ τῶν ἐμψύχων μόρια.* His de causis, dum quis meliorem et feliciorem emendationem afferat, legerim: *μάλιστα δ' ἂν τ. τ. τ. ε. υ. μ. κ. τ. τ. ψ. πάρεγγυς ὄντα, ἄμφω γίγνεσθαι καὶ ἐντελ....* hoc sensu: maxime autem et actu et potentia fieri dicuntur eae partes animalium, quae juxta animae partes positae sive ab animae partibus non divulsae sint. Anima autem in hoc loco idem fere quod principium movendi declarare videtur, quod movendi principium in nonnullis animalibus non in unum punctum contractum, sed ita per totum corpus dissipatum est, ut a singulis partibus etiam avulsis servetur. Accuratius illis partibus *ψυχὴν τρεπτικὴν καὶ αἰσθητικὴν* inesse Ar. per-

sequitur: phys. min. 468b 2 *ἀνάγκη δὲ καὶ τὴν θρεπτικὴν ψυχὴν ἐνεργείᾳ μὲν ἐν τοῖς ἔχουσιν εἶναι μίαν, δυνάμει δὲ πλείους. ὁμοίως δὲ καὶ τὴν αἰσθητικὴν ἀρχήν.* Arctam corporis et animae partium conjunctionem hic quoque notes; ut corpus enim his in animalibus in multas partes per se existentes discedit, sic anima quoque in plures partes sejunctas abit; cf. de omni hac re de an. 411b 19 et Trendelenburg a. h. l.

1041a 12. *τὸ γὰρ ζητεῖν διὰ τί ὁ μουσικὸς ἄνθρωπος ἄνθρωπος μουσικός ἐστιν, ἤτοι ἐστὶ τὸ εἰρημένον ζητεῖν διὰ τί ὁ ἄνθρωπος μουσικός ἐστιν, ἢ ἄλλο.* Quae difficultas his verbis insit sagaciter perspexit Bonitzius, et alteram partem ita emendavit, *ἤτοι ἐστὶ τὸ εἰρ. ζητεῖν διὰ τί ὁ ἄνθ. μουσ. ἄνθρωπος μουσικός ἐστιν ἢ ἄλλο.* Sed si ad conjecturas confugiendum est, equidem malo: *τὸ γὰρ ζ. δ. τ. ὁ ἄνθρωπος μουσικός ἐστιν, ἤτοι ἐστὶ τὸ εἰρημένον ζητεῖν διὰ τί ὁ ἄνθ. μουσ. ἄνθ. μουσικός ἐστιν* (i. e. quaerere id ipsum, quod dictum erat [*ἄνθ. μουσ.*] nimirum, num homo musicus sit homo musicus) *ἢ ἄλλο* (i. e. quaerere cur accidens illud »*μουσικός*« homini inhaereat). Generalior enim sententia praeire debet, quae has duas partes involutas habeat; quam ob causam communem quaestionem non iisdem verbis in alterutro membro repetere licet.

1042b 28. *ἐνίων δὲ τὸ εἶναι καὶ πᾶσι τούτοις ὁρισθήσεται, τῷ τὰ μὲν μεμῖχθαι, τὰ δὲ κεκρᾶσθαι, τὰ δὲ δεδέσθαι, τὰ δὲ πεπυκνῶσθαι, τὰ δὲ ταῖς ἄλλαις διαφοραῖς κεχρῆσθαι, ὥσπερ ἢ χεὶρ ἢ πούς.* Magnopere minor neminem in his verbis offensum esse. Nam tam aperte Ar. in posteriore enunciationis parte res, quatenus aut in

concretione aut in conglutinatione natura earum cernatur, dividit, ut exempla allata multo magis contrarium, quam quod in priore parte propositum sit evincant. Multo magis ea exempla afferenda fuerunt, quorum natura vel in pluribus vel in omnibus differentiis spectetur. An quis manum pedemve clavis colligatum vel ex liquore condensatum esse putet? Sed corrupta esse prima enunciationis verba elucet ex Alex. commentario: *καὶ ἁπλῶς πᾶσι τούτοις ὁρισθήσεται τὸ εἶναι.* Verbis igitur, ex v. 24 interpolatis, ejectis, optio datur, an *ἁπλῶς δὲ τὸ εἶναι πᾶσι τούτοις ὁρισθήσεται,* an *καὶ πᾶσι τούτοις ὁρισθήσεται τὸ εἶναι* malis. Atque priorem lectionem concinniorem atque expeditiorem quam quae dilacerari potuerit esse crediderim; altera vero in lectione bifaria constructio institui potest: aut enim *πᾶσι* et *τούτοις* divellas et sub *πᾶσι* omnes res sub *τούτοις* differentias naturam rerum constituentes intelligas, aut conjunctis verbis *πᾶσι τούτοις* omnes res vel supra allatas vel hoc ad genus pertinentes designari censeas. Sed antequam de hac re judicemus, videamus, quomodo verba sequentia explicanda sint. Atque naturam quidem harum rerum (*τούτων ἕκαστον* [a] 4) differentiis hic enumeratis definiri, nec tamen differentias nec ipsas nec cum materia aliqua conjunctas (*συνδυαζόμενα*) substantiarum naturam habere infra legimus (1 — 4). Nihilominus analogiam quandam his rebus cum substantiis intercedere Ar. hac ratione comprobat: *καὶ ὡς ἐν ταῖς οὐσίαις τὸ τῆς ὕλης κατηγορούμενον αὐτὴ ἡ ἐνέργεια, καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις ὁρισμοῖς μάλιστα.* Unde verba *ἐν τοῖς ἄλλοις ὁρισμοῖς* de definitionibus harum ipsarum rerum (*οὐδός, οἶκος, κρύσταλλον*), quae meris substantiis (*ἐν ταῖς οὐσίαις*) op-

ponantur, accipienda esse censeo. Cur autem hae res a dignitate verae substantiae excludantur, ex exemplis allatis apparet. Atque plerisque res non natura nutrice adultas, sed opificis manibus confectas designari primo aspectu intelligitur (*μελίκρατον, φάκελος, βιβλίον, κιβώτιον, οὐδός*), aliis non substantiae ipsae sed conditiones earum indicantur (*κρύσταλλον* et fortasse *πνεῦμα* secundum meteor. *B.* c. IV), aliis denique partes animalium exprimuntur (*χείρ, πούς*). Jam cur medium genus substantiae dignitate privetur per se patet, artificiales autem res et animalium partes arcentur, quia sola corpora naturalia eaque integra non mutila peculiari sensu substantiae dicuntur cf. 41[b] 28 et 43[b] 21 et 40[b] 5. Nunc igitur ad rem, unde aberravimus, reversi facile intelligemus priorem constructionem verborum »*καὶ πᾶσι τούτοις ὁρισθήσεται τὸ εἶναι*« rejiciendam alteramque unam probandam esse.

1046[b] 22. *διὸ τὰ κατὰ λόγον δυνατὰ τοῖς ἄνευ λόγου δυνατοῖς ποιεῖ τἀναντία.* Irrationales potentias singulos quamque effectus procreare, rationales easdem contraria efficere jam bis Ar. in hoc capite monuerat ([b] 4 et [b] 10). Itaque hoc loco dici non potest, rationales potentias contraria ac irrationales efficere, quoniam illa ipsa, quae a ratione procreantur, inter se, non effectui potentiae irrationalis contraria sunt. Potestas autem verbi *ἐναντία* eo minus in simplicem diversitatis vim detorqueri potest, quia stricta contrariorum membrorum significatio in sequentibus necessario flagitatur: *μιᾷ γὰρ ἀρχῇ κεριέχεται* sc. *τἀναντία.* Nihilominus vereor, ne is, qui verba *τοῖς ἄνευ λόγου δυνατοῖς* ejici jusserit, audacior sit, atque nescio, an explicatione vulgatae lectioni succurri possit. Etenim cum

in efficienda re duae potentiae exigantur, una quae vim quandam rei invehat (*ποιητικόν*), altera, quae ad hanc vim suscipiendam idonea sit (*παθητικόν*), potentia passiva, qua passiva, semper ratione caret, activa autem rationis lumine pleraque instructa est cf. 49ª 3 sqq. Itaque nostro quoque loco verba *τοῖς ἄνευ λόγου δυνατοῖς* non a *τἀναντία* sed a *ποιεῖ* suspensa esse crediderim: potentiae rationales res irrationali potentia praeditas contrario modo afficiunt.

1049ª 18. *ἔοικε δὲ ὃ λέγομεν εἶναι οὐ τόδε ἀλλ' ἐκείνινον, οἷον τὸ κιβώτιον οὐ ξύλον ἀλλὰ ξύλινον, οὐδὲ τό ξύλον γῆ ἀλλὰ γήϊνον, πάλιν ἡ γῆ εἰ οὕτως μὴ ἄλλο ἀλλ' ἐκείνινον, ἀεὶ ἐκεῖνο δυνάμει ἁπλῶς τὸ ὕστεράν ἐστιν.* Majore interpunctione post *γῆ* ex Trendelenburgii sagaci conjectura[1]) posita et *δυνάμει* ex fide cod. Aᵇ et Alexandri auctoritate tantum non certa sublato constructio facile expeditur. Sententiae enim ita cohaerent: illud vero, ex quo ipso nulla mora intercedente res enascitur (*ὃ λέγομεν*) non *τόδε* sed *ἐκείνινον* est. Exemplis deinde re illustrata, quorum extremum (*πάλιν ἡ γῆ*) magis indicatum quam expositum est, Ar. ita pergit: quodsi quid (*εἰ οὕτως*) non alius cujusdam praedicati munere fungitur, sed flexo nomine (*ἐκείνινον*) de aliqua re praedicatur, illa semper et omnino extrema materia est. Ar. enim docere vult, quomodo extrema materia (*προσεχὴς ὕλη*) jam ex grammatica forma cognosci queat. Verbum *δυνάμει* autem ab interpolatore quodam ad *ὕστερον*, paullo obscurius dictum, adjectum esse videtur. Nam cum extrema materia *ipsa* rem potentia includere (ª 15) dicatur, copu-

[1]) De an. p. 300.

lativa certe particula *καὶ* post *δυνάμει* interjicienda fuit. Sed multo praestat ex gravissimis auctoribus A[b] et Alex. illud *δυνάμει* omnino expellere.

1049[a] 26. *οἷον εἰ ἡ γῆ ἀερίνη, ὁ δ' ἀὴρ μὴ πῦρ ἀλλὰ πύρινος, τὸ πῦρ ὕλη πρώτη.* Mendo quodam librariorum haec verba turbata esse mihi persuasum habeo. Nam id quidem fortasse excusari potest, quod non additum sit *τὸ δὲ πῦρ μὴ κατ' ἄλλο,* quae verba, ut recte conclusio procedat, suppleri certe debent. Sed puerilem illum lusum *μὴ πῦρ ἀλλὰ πύρινος* ab Ar. arceo, quam pleniorem expositionem si Ar. iterare voluisset, in priore certe membro adhibuisset; in altero autem membro recocta habet nescio quid scurrilis garrulitatis. Sed dubito, num genuinam Ar. manum restituere mihi contingat; ductus quidem literarum huic fortasse emendationi favent: *ὁ δὲ ἀὴρ πύρινος, τὸ δὲ μὴ παρ' ἄλλου.*

1051[a] 27. *διότι ἐὰν ἴσαι τρεῖς, ἥ τε βάσις δύο καὶ ἡ ἐκ μέσου ἐπισταθεῖτα ὀρθή, ἰδόντι δῆλον τῷ ἐκεῖνο εἰδότι.* Singularem trianguli formam, ubi vertex in medio hemicyclio positus sit, ab Ar. respici Bonitzius censet. At quis tantam levitatem ferre potest, ut Ar. primum dicat *διὰ τί ἡ ἐν ἡμικυκλίῳ ὀρθὴ καθόλου,* proxima autem in enunciatione eandem generalem propositionem in limites unius conditionis restringat? Qua tandem necessitate Ar. obstrictus fuit, ut supra adderet »*καθόλου*«? Accedit, quod in demonstranda hac propositione figuram aequicrurii trianguli ne minimum quidem adjumentum praebere Euclides elem. III, 31 docet. Scribas igitur ex plena analogia prioris exempli: *ὅτι . . . ἐπισταθεῖσα, ὀρθή* (int. *ἡ ἐν ἡμικυκλίῳ ἐστίν*). *ἰδόντι δὴ δῆλον τῷ ἐκεῖνο εἰδότι.*

1053b 13. ἢ μᾶλλον ὑπόκειταί τις φύσις, καὶ πῶς δεῖ γνωριμωτέρως λεχθῆναι καὶ μᾶλλον ὥσπερ οἱ περὶ φύσεως. Quibus difficultatibus haec verba implicata sint, ut sagacissime Bonitzius significavit, ita conjecturam ejus λεχθῆναι ἢ μᾶλλον ὥσπερ οἱ περὶ φύσεως mihi haudquaquam probavit. Equidem censeo rectam vel emendandi vel explicandi viam monstrari uno loco collato 1001a 9. Πλάτων μὲν γὰρ καὶ οἱ Πυθαγόρειοι οὐχ ἕτερόν τι τὸ ὂν οὐδὲ τὸ ἕν .... οἱ δὲ περὶ φύσεως, οἷον Ἐμπεδοκλῆς, ὡς εἰς γνωριμώτερον ἀνάγων λέγει ὅ τι τὸ ἕν ἐστιν. Platonicos enim et Pythagoreos obscurae atque abstrusae doctrinae de mera unitatis natura Ar. incusat: enucleatius physicos, quid unitati substratum sit, explanavisse. Hinc apparet eos, qui hoc loco apertius rem declarasse laudantur, ipsos physicos esse, nec a Bonitzio a physicis distingui debuisse. Atque omni parti satisfieret, si omisso πῶς legeretur ἢ μᾶλλον ὑπόκειταί τις φύσις καὶ δεῖ γνωριμωτέρως λεχθῆναι... Sed vereor, ne illa ejectio adverbii πῶς audacior sit, et explicatione illud πῶς fulciri possit. Physici enim et ipsi rursus in diversas partes discedunt, cum alius amicitiam (φιλίαν) alius aerem (ἀέρα) alius infinitatem (ἄπειρον) alius aliud quid unitati substratum esse contenderint. Huc illud πῶς retulerim et extrema dilemmatis parte rursus bifariam diremta ita verba explicuerim: utrum secundum Platonicos unitas ipsa per se substantiae dignitatem habet, an subest aliqua natura, et si more physicorum, Platonicis tenebris missis, naturam quandam substratam esse dilucidius declaraverimus, quaenam (πῶς) natura substrata est?

1057a 6. διὸ οὐ πᾶν ὃ ἂν ᾖ ἓν ἀριθμός ἐστιν, οἷον

εἴ τι ἀδιαίρετόν ἐστιν. Haec verba equidem non capio. Nam cum ipsis proximis verbis unitatem et numerum opposita esse Ar. dixisset (ª 4), per se patet non unam alteramve unitatem sed ne ullam quidem unitatem numerum esse. Neque hoc loco τὸ ἕν de unitate multitudinem in se includenti explicari potest, quandoquidem totum hoc caput in ipso hoc discrimine unitatis multitudinisque premendo versetur. Itaque vulgatam lectionem rejicere non dubito. Jam si verba ἀριθμός ἐστιν ejicere liceret, apta sententia elici posset. Suppletis enim ἀριθμῷ ἀντίκειται, hic sensus prodiret: idcirco non quidquid unum est, numero opponi debet, ut si quid indivisibile est. Indivisibile (ἀδιαίρετον) enim, qua indivisibile, non numero sed multitudini (πλήθει) opponi Ar. 54ª 23 sqq. docuerat. Sed haec medicina et violentior esset, et omissum ᾗ ἀδιαίρετον desideraretur. Fortasse igitur cum levissima nulla fere mutatione scribendum est: διὸ οὐ πᾶν ὃ ἂν ᾖ ἕνα ἀριθμός ἐστιν itaque non quidcunque multas partes (ἕνα) continet, numerus est, ut si quid indivisibile est. Numeri enim naturam in eo spectari, ut eam multitudinem, quam unitas metiretur, designaret, Ar. definiverat (ª 2—6). Quodsi quae moles in singulas particulas dissecari nequit, ea ex numeri ambitu excludenda est, quamvis ex analogia omnium extensorum corporum multa corpuscula involuta habeat.

1058ª 6. ἀνάγκη ἄρα τὴν διαφορὰν ταύτην ἑτερότητα τοῦ γένους εἶναι. Cum disputatio a certo genere ἑτερότητος proficiscatur (57ᵇ 37. τὰ ἕτερα τῷ εἴδει), et sequens propositio a διαφορᾷ τοῦ γένους non ab ἑτερότητι ordiatur, suspicor legendum esse ἀνάγκη ἄρα τὴν ἑτερότητα ταύτην διαφορὰν τοῦ γένους εἶναι.

1059ª 29. *ἔτι πότερον περὶ τὰς οὐσίας μόνον ἢ καὶ τὰ συμβεβηκότα ἀπόδειξίς ἐστιν; εἰ γὰρ περί γε τὰ συμβεβηκότα ἀπόδειξίς ἐστιν, περὶ τὰς οὐσίας οὐκ ἔστιν.* Rectissime Bonitzius interpolata verba *ἀπόδειξίς ἐστιν* delevit; sed his deletis in sequenti enunciatione interpunctio mutanda est. Nam omnem demonstrationem circa accidentia (*συμβεβηκότα*) substantiae inhaerentia versari certissimum est, nec ab ulla conditione pendet. Insuper hac ipsa in re caput difficultatis spectari quia, si et accidentia et substantias uni scientiae attribueris, alia pars ejusdem disciplinae demonstretur, alia non demonstretur apparet ex B. c. II, 997ª 30. *εἰ μὲν γὰρ τῆς αὐτῆς, ἀποδεικτική τις ἂν εἴη καὶ ἡ τῆς οὐσίας.* Hoc enim tum demum concludi potest, si quis omnium unius disciplinae partium pariter demonstrationem esse sumserit. Hinc facillima fit emendatio *εἰ γὰρ* (sc. *καὶ περὶ τὰ συμβεβηκότα*), *περί γε τά* ... Verbis enim *εἰ γὰρ* posterior tantum dillemmatis pars ita respicitur, ut hoc loco particula *ἢ* medium quendam locum inter solemnes istas significationes et interrogationis et responsionis teneat.

1062ᵇ 26. *ἐπεὶ οὖν οὐ λευκὸν γίγνεται λευκοῦ τελέως ὄντος καὶ οὐδαμῇ μὴ λευκοῦ, νῦν δὲ γεγενημένον μὴ λευκὸν γίγνοιτ' ἂν ἐκ μὴ ὄντος λευκοῦ τὸ γιγνόμενον μὴ λευκόν.* Verba sane intricatissima nescio an hac ratione sanari possint: *ἐπεὶ οὖν .... λευκοῦ, νῦν δὲ γεγενημένου μὴ λευκοῦ, γίγνοιτ' ἂν ἐκ μὴ ὄντος μὴ λευκοῦ τὸ γιγνόμενον μὴ λευκόν.* »Siquidem res non alba fit vel ex ea, quae omnino alba nec ulla ex parte nigra *fuerit*, sed nunc demum nigra *facta* sit; id quod nigrum factum est ex eo, quod non nigrum *fuerit*, prodit.« De particula *δὲ* pro *ἀλλὰ* post negationem vide Waitz org. I, p. 305;

calorem nigrum ex perfecto albo colore oriri Ar. elegit, quo apertiorem rem redderet. Dubito denique, num ab eo sensu, quem equidem interpretatus sum, lectionem *ἐπεὶ οὖν μὴ λευκὸν* flagitari recte Bonitzius statuerit. Nam illa verba *οὐ λευκὸν* si subjecti vicem tenerent, vel cum participio conjuncta essent, procul dubio soloecismum continerent; nescio tamen, an ferri possint, dummodo ad praedicatum *γίγνεται* referantur. Restat, ut fraudem sophistarum, quae huic argumentationi inest, exponam. Isti enim callide inter id quod sit et id quod fiat distinguentes recte colligebant: *τὸ γιγνόμενον μὴ λευκὸν γίγνεται ἐκ μὴ ὄντος μὴ λευκοῦ*. Jam cum utroque in membro *μὴ λευκὸν* recurreret, astuti ex mathematico more parem partem utrique membro detrahebant et imperitis harum nugarum optimo jure colligere videbantur, *τὸ γιγνόμενον γίγνεται ἐκ μὴ ὄντος*. Atqui nihil ex *μὴ ὄντος* fieri potest (v. 24, 25): ergo album simul est non album sive nigrum.

1071ª 1. *καὶ διὰ τοῦτο πάντων αἴτια ταῦτα, ὅτι τῶν οὐσιῶν ἄνευ οὐκ ἔστι τὰ πάθη καὶ αἱ κινήσεις*. Libri A. capp. IV et V Ar. quaestionem executit, an omnium rerum eadem sint principia an diversa. Atque in capite quarto hanc quaestionem limitibus substantiae includit, in quinto eandem quaestionem ad reliquas categorias transfert. Hoc si probabiliter persecutus sum, vix dubium esse potest, quin legendum sit *καὶ διὰ τοῦτο πάντων αἴτια ταὐτά:* »cum priore capite omnium substantiarum secundum analogiam communia principia subesse docuerimus, reliquae autem categoriae ab illis suspensae sint, omnium quoque categoriarum eadem esse principia consentaneum est. Firmatur vero haec emendatio extremis hujus capitis verbis,

quibus summa rei expositae comprehenditur, v. 33 *ταὐτὰ τῷ ἀνάλογον .... καὶ ὅτι* (Bon.) *τὰ τῶν οὐσιῶν αἴτια ὡς αἴτια πάντων.*

1072[b] 2. *ἔστι γάρ τινι τὸ οὗ ἕνεκα, ὧν τὸ μὲν ἔστι τὸ δ' οὐκ ἔστι.* Cum vulgata lectio ferri non possit, Schweglerus »*τινὶ*« mutavit in *διττόν*: acuta sane atque etiam a Bonitzio probata emendatio. Nihilominus dubito, num recta sit, quia *διττόν* nec per librariorum errores nec per interpolatorum audaciam in *τινὶ* abire potuit. Sed modo videas lectionem cod. A[b] *ἔστι γάρ τινι τὸ οὗ ἕνεκα τινός.* Quid ergo? Nonne genuina lectio addito *καί*, ut quod extremis literis praecedentis verbi haustum sit, facillime hunc in modum restitui potest *ἔστι γάρ τινι τὸ οὗ ἕνεκα καί τινος?* Augetur vero fides hujus emendationis, quia alias quoque discrimen horum generum *τοῦ οὗ ἕνεκα* distincto casu genitivo et dativo designatur: de an. 415[b] 2, et [b] 20. *τὸ δ' οὗ ἕνεκα διττόν, τὸ μὲν οὗ τὸ δὲ ᾧ;* de gen. an. 742[a] 23. *τὸ μὲν γάρ ἐστιν ὅθεν ἡ κίνησις, τὸ δὲ ᾧ χρῆται τὸ οὗ ἕνεκα.* cf. Themist. ad de an. f. 45[b] 2. Neve quis objiciat ob sequentia verba inverso ordine dicendum fuisse: *ἔστι γάρ τινος τὸ οὗ ἕνεκα καί τινι.* Nam liberior haec construendi ratio alias quoque apud Ar. invenitur 992[a] 11, 1077[b] 2, 3. Jam quod ad rem ipsam pertinet, mihi quidem vix dubium esse videtur, quin quaestio B. 996[a] 23 — 27, K. 1059[a] 35 — 38 disceptata hoc loco respiciatur. Illic enim causam finalem, ut quae in rebus, quae moveantur, versetur, in prima philosophia sive in doctrina de primis atque immotis substantiis locum non habere speciosa fraude Ar. docere conatur. Haec igitur quaestio hoc in libro Ar. de summo bono primae sub-

stantiae insito disputaturo necessario solvenda fuit. Atque profligavit hanc dubitationem simplicissima distinctione inter duo genera *τοῦ οὗ ἕνεκα* instituta.

1076ª 14. *καὶ εἴ τι δόγμα κοινὸν ἡμῖν κἀκείνοις, τοῦτ' ἰδίᾳ μὴ καθ' ἡμῶν δυσχεραίνωμεν.* Verbum *δυσχεραίνειν* et activa vi de iis, qui aliquam rem repudient respuantque (1088ᵇ 30. *τὸ δ' ἄνισον δυσχεραίνουσιν εὐλόγως*) et vi neutrali de iis, qui ob aegrimoniam aliis infensi sint, (eth. Nic. 1128ª 8 *τοῖς τε λέγουσι δυσχεραίνοντες*) usurpatur. Hoc loco utraque vi hujus verbi copulata et doctrinam repudiari (*τοῦτο*) et ipsum ob hanc doctrinam vituperari (*καθ' ἡμῶν*) Ar. significare videtur. At cur quaeso Ar., si forte aliqua in re cum prioribus philosophis consentiat, ipse se carpat? Ipse certe studio veri investigandi ductus hanc rem sibi persuasit; alii autem contrariam sententiam secuti hanc Ar. doctrinam improbare optimo jure dicuntur. Sin quis autem de futuro tempore cogitare voluerit, is videat, ne subtilius argumentetur. Nam hoc non modo nulla particula temporali significatum est, sed etiam nimiam inconstantiam in gravissimis his rebus proderet. Itaque *δυσχεραίνωμεν* male a librariis praecedenti *ὦμεν* accomodatum, genuinamque lectionem esse *δυσχεραίνωσιν* putaverim.

1077ᵇ 4 *εἰ γὰρ μὴ ἔστι πάθη παρὰ τὰς οὐσίας, οἷον κινούμενόν τι ἢ λευκόν.* Exempla allata pariter nudas affectiones substantiarum designare debent. Cum autem verbis *κινούμενόν τι* affectio quaedam cum substantia conjuncta exprimatur, pronomen indefinitum *τὶ* delendum est Alexandri auctoritate favente (*οἷον λευκὸν καὶ κινούμενον, τουτέστι κίνησις*)

1078ª 26 *ἃ γὰρ κἂν εἰ μή που ἦν ἀδιαίρετος ὑπῆρχεν αὐτῷ, δῆλον ὅτι καὶ ἄνευ τούτων ἐνδέχεται αὐτῷ ὑπάρχειν τὸ δυνατόν.* Vulnera huic loco insita nudare satis habeo, sanare despero. Atque primum quaeramus, quid sub verbis *ἄνευ τούτων* intelligendum sit. Quivis ad consilium disputationis attentior respondebit: praecedentia illa *οὔθ' ᾗ ἄνθρωπος οὔθ' ᾗ ἀδιαίρετος.* At duo argumenta alterum infirmius alterum invictum obstant. Nam cum verba ista modo allata *οὔθ' — ἀδιαίρετος* remotiore loco posita, atque plena distinctione divulsa sint, proximo autem loco atque adeo in eadem enunciatione sola indivisibilis hominis natura respiciatur, non *ἄνευ τούτων* sed *ἄνευ τούτου* merito exspectatur. Sed exemplum ejusdem inconstantis licentiae in promptu est, 1078ª 2 *οὐκ εἰ συμβέβηκεν αἰσθητὰ εἶναι ὧν ἐστί... οὐ τῶν αἰσθητῶν ἔσονται αἱ μαθηματικαὶ ἐπιστῆμαι.* Nihilominus verba *ἄνευ τούτων* hac ratione explicari nequeunt. In extrema enunciatione illud *τὸ δυνατὸν* subjecti munere fungi ipsa structura abunde docet. Itaque, ne prior pars enunciationis prorsus discindatur, illud ipsum *ὃ γὰρ — αὐτῷ* subaudiendum atque ita construendum est: *δῆλον ὅτι καὶ ἄνευ τούτων, ἃ κἂν εἰ — ἐνδέχεται αὐτῷ ὑπάρχειν τὸ δυνατόν.* Jam quae portentosa prodit sententia, quid alienius ab auctoris consilio? Sed quae medicina afferenda est? Interpunctione fortasse aliqua certe ex parte structura expediri potest, modo illud *δυνατὸν* mathematicam qualitatem magnitudinum peculiarem significaret. Atque Plato. quidem in Theaeteti c. V. subtiliorem quandam potentiae vim ad lineas figurasque retulit, nec tamen numerum exclusit. Multo distinctius Ar. geometriam non

arithmeticam de potentiis agere monuit 1046ª 7 *καθάπερ ἐν γεωμετρίᾳ καὶ δυνατὰ καὶ ἀδύνατα λέγομεν τῷ εἶναί πως ἢ μὴ εἶναι*[1]). Itaque *τὸ δυνατὸν*, commate a prioribus sejunctum, tamquam unum exemplum ex iis, quae homini, etiam si indivisibilis esset, inhaererent, levius adjectum esse videtur. Sed dubito, num ipse haerens aliis hanc explicationem probem.

1082ª 37. *οἷον εἰ τὰ ζῷα φαίη τις συγκεῖσθαι ἐκ ζῴων, εἰ τούτων ἰδέαι εἰσιν.* Ex eo, quod singulae monades numerorum idealium et ipsae ideae sint, consentaneum esse Ar. docet, res quoque ipsas, quarum ideae ponantur, ex pluribus rebus constare, absurdam autem hanc doctrinam esse rebus ipsis affatim probari; quis enim non illudat homini, animal ex animalibus constare dicenti. Huc usque omnia plana atque concinna sunt, languidum autem et futile additamentum »*εἰ τούτων ἰδέαι εἰσιν*« pondus argumentationis mirum quantum debilitet. Atque spuria haec verba esse discrepantia codd. et editionum jam monet: Sed ipse Alex., apud quem nullum horum verborum indicium exstat, viam corruptelae monstrat. Is enim, post *ζῷα* distinguendum, deinde *φαίη τις* — *ζῴων* addenda esse suasit. Hac distinctione facta ad *ζῷα* e superioribus supplendum fuit *ἰδέαι εἰσίν*; hoc glossema, margini fortasse adscriptum, primum importuno loco in textum irrepsit, deinde vario modo cum tota enunciationis conformatione concinnatum est.

---

[1]) Simili ratione Euclides elem. X *ὅροι: εὐθεῖαι δυνάμει σύμμετροί εἰσιν ὅταν τὰ ἀπ' αὐτῶν τετράγωνα τῷ αὐτῷ χωρίῳ μετρῆται;* potentiam autem, quam mathematici horum dierum dicunt, Euclides nomine *τετραγώνου* notavit cf. Eucl. elem. I. p. 194. ed. Aug.

1085b 26. *ἐστί τε ἕτερον αὐτὸ πλῆθος καὶ πλῆθος ἄπειρον.* Alexander in suo textu habuit *τὸ πλῆθος* ac vereor, ne *αὐτὸ* ex interpolatione fluxerit. Hic enim non tam idea multitudinis quam elementum (*στοιχεῖον*), unde singuli numeri effecti sint, indicari videtur. cf. 1089b 10 *πῶς δὲ πολλὰ ἄνισα παρὰ τὸ ἄνισον.*

1085b 30. *οὐ γὰρ δὴ ἐκ γε διαστήματός τινος καὶ αὐτῆς στιγμῆς.* Hoc quoque loco interpretes ad lectionem Alex. parum attenti fuerunt. Illius enim in textu post *διαστήματος* additum fuisse videtur *ἤτοι πλήθους τινός,* quae verba in codd. omnibus exciderunt. Nec dubito, quin plenior Alex. lectio genuina sit. Etenim *διαστήματός τινος* aptum locum haberet, si Platonici nuda dimensione missa ad genus quoddam vel partem quandam dimensionis confugissent, cujus rei vestigium nullum hoc loco exstat. Optimum autem sensum praebet Alex. *πλήθους τινός* i. e. ex multitudine ea, quae aliquam affinitatem cum multitudine, quae numerorum elementum sit, habeat cf. 1085a 33 *καὶ ἄλλης ὕλης οἵας τὸ πλῆθος, ἀλλ' οὐ πλήθους.* Quodsi illa verba ab Alex. explicationis causa addita esse duxeris, pronomen *τινὸς* certe exterminandum est.

1086a 5. *οἱ δὲ τὰ εἴδη βουλόμενοι ἅμα καὶ ἀριθμοὺς ποιεῖν, οὐχ ὁρῶντες δέ, εἰ τὰς ἀρχάς τις ταύτας θήσεται, πῶς ἔσται ὁ μαθηματικὸς ἀριθμὸς παρὰ τὸν εἰδητικόν.* Corrigo *ταὐτάς;* illa enim Platonicorum secta numerum idealem et mathematicum in unum conflasse videtur, quia non viderunt, quomodo ex iisdem principiis numeri diversae naturae derivari possent: Commendatur autem mea emendatio collato cap. VII. 1081a 12 *εἰ δὲ μή*

εἰσιν ἀριθμοὶ αἱ ἰδέαι, οὐδ' ὅλως οἷόν τε αὐτὰς εἶναι. ἐκ τίνων γὰρ ἔσονται ἀρχῶν αἱ ἰδέαι; ὁ γὰρ ἀριθμός ἐστιν ἐκ τοῦ ἑνὸς καὶ τῆς δυάδος τῆς ἀορίστου. Hac enim in refutatione Ar. tacite sumpsit tamquam certum axioma, ex iisdem principiis res diversae naturae deduci nequire. cf. 1090ᵇ 33 sqq.

1090ᵇ 36. *εἰ μὲν γὰρ ἐκ τοῦ μεγάλου καὶ μικροῦ, ὁ αὐτὸς ἐκείνῳ ἔσται τῷ τῶν ἰδεῶν, ἐξ ἄλλου δέ τινος μικροῦ καὶ μεγάλου· τὰ γὰρ μεγέθη ποιεῖ.* Corruptela aliqua haec verba squalere perspicue demonstravit Bonitzius, conjecturam autem, quam proposuit, *μεγάλου τὰ μεγέθη ποιεῖ,* nec Alex. certa auctoritate firmatur, nec omnino mihi probatur; premendum enim fuit, ex alia specie magni et parvi numerum mathematicum procreari non posse, ut quae magnitudines effingat. Simplicissima mutatione legendum esse suspicor: *εἰ μὲν ... ἰδεῶν; ἐξ ἄλλου δέ τινος μικροῦ καὶ μεγάλου οὔ· τὰ γὰρ μεγέθη ποιεῖ.* Sic enim ordo disputationis procedit: ex eodem magno et parvo numerus mathematicus effici nequit, nec ex aliqua specie magni parvique, nec denique ex alio quodam genere (*ἕτερόν τι*).

1093ᵃ 20 *ἐπεὶ καὶ τὸ ΞΨΖ συμφωνίας φασὶν εἶναι, καὶ ὅτι ἐκεῖναι τρεῖς, καὶ ταῦτα τρία.* Posteriore parte non quidquam novi additur, sed causa cur Pythagorei levissima similitudine arrepta diphthoggos symphonias esse dixerint, explicatur. Itaque nescio, an *καὶ* ex iteratione praecedentium literarum originem traxerit ac removendum sit.

1093ᵇ 18 *ἐν ἑκάστῃ γὰρ τοῦ ὄντος κατηγορίᾳ ἐστὶ τὸ ἀνάλογον, ὡς εὐθὺ ἐν μήκει, οὕτως ἐν πλάτει τὸ*

ὁμαλὸν ἴσως, ἐν ἀριθμῷ τὸ περιττόν. Omni dubitationi exemptum est, rectae lineae regioni planitici aequalitatem respondere, ex secretione autem doctrina numerus impar in seriem bonorum redigitur. Itaque virgulam certe post ὁμαλὸν colloces, ni ἴσως post ἀριθμῷ transjicere malueris. Patrocinantur huic emendationi Bessarion (in numero vero fortasse impar) et Alexander (καὶ ἐν ἀριθμῷ ἴσως τὸ περιττόν). Ad rem ipsam conferre juvat Porphyr. de vita Pyth. c. 38, ἐκάλει γὰρ τῶν ἀντικειμένων δυνάμεων τὴν μὲν βελτίονα μονάδα καὶ φῶς καὶ δεξιὸν καὶ ἴσον καὶ μένον καὶ εὐθύ· τὴν δὲ χείρονα δυάδα καὶ σκότος καὶ ἀριστερὸν καὶ ἄνισον καὶ περιφερὲς καὶ φερόμενον. Atque omnino nescio, an non interpretibus in multis locis posteriores scriptores et scholiastae laudandi certe fuerint, ut provincias suas explerent plenas.

Cum aliis in Ar. libris tum in libris metaphysicis saepius animadverteram sententias levi transpositione facta in ordinem multo aptiorem et justiorem redigi posse. Rem cum in libris metaphysicis persequerer, alia in parte minus, in alia magis hanc rationem adhiberi posse intellexi. Atque avidus causae hujus rei investigandae id mihi finxi: Ar., ut qui hos libros nondum ultima lima perpoliverit, et novas cogitationes quotidie foecunda ingenii alacritate volverit, in margine sui exemplaris alia nova adjecit, alia correxit, alia delenda significavit. Ii autem, qui ex Ar. exemplari apographa fecerunt, pro sua imperitia alias notas falso loco interposuerunt, alias una cum delendis

in sua apographa conjecerunt. Exarsi vero studio rei ad lucidum perducendae, cum intelligerem, multum fructus hinc ad quaestiones de serie horum librorum dirimendas redundaturum esse. Sed cum subtilitas critica hujus aetatis meram fictionem summo iure nihili aestimet, ipse singulos locos perscrutatus subsidia critica quoque passim huic rei succurrere intellexi. Namque lacunas illas cod. A[b] et Alex. communes hac ratione optime explicari supra jam significavimus. Accedunt alii loci, in quibus altera codd. familia verba et in margine correcta et delenda, altera correcta tantum exhibet. Nunc autem, misso omni animi fervore, primum examinemus, si qui loci transpositione sanari possint, deinde, si quo loco duplex recensio sive, ut accuratius dicam, et verba in margine adjecta et verba in primo textu posita exstare videantur.

Transpositiones.

1011[a] 3. *Εἰσὶ δέ τινες, οἳ ἀπορροῦσι καὶ* —[a] 16 *λέγοντες.* Multum equidem his verbis agitatus dubito, num probabili modo explicari possint. In initio enim hujus capitis legimus et ab hominibus sophistarum fraude deceptis et a sophistis dicacibus ipsis (*τῶν ταῦτα πεπεισμένων καὶ τῶν τοὺς λόγους τούτους μόνον λεγόντων*) quaeri, quisnam sanum et aegrotum distinguat. Jam quo modo postea *οὗτοι μὲν* (v. 13) ita ad alteros referri possint, ut alteris opponantur, equidem concoquere non possum: tantam socordiam ne mihi quidem condonarem,

nedum Aristoteli. Idcirco ordinem invertendum esse censeo sic ut verba *οὗτοι μὲν — ἐναντία λέγοντες* praeponantur verbis *εἰσὶ δέ τινες — ἀπόδειξίς ἐστιν.* Atque hac transpositione facta *οὗτοι μὲν* optime ad eos, qui dubitando in hanc sententiam delapsi sint, referuntur, quia res cap. V. expositas unice ad dubitationes illorum removendas pertinere Ar. et hoc in libro 1009ª 23 *ἐλήλυθε δὲ τοῖς διαποροῦσιν αὕτη ἡ δόξα ἐκ τῶν αἰσθητῶν* ... indicat et diserte monet K. c. VI. 1063ᵇ 12 *πρὸς δὲ τοὺς διαποροῦντας ἐκ τῶν παραδεδομένων ἀπορίων ῥᾴδιον ἁπαντᾶν.* Verba autem *τοῦτο πεισθεῖεν* tum aptissime ad ipsum principium contradictionis spectare, quis non videt?

1019ª 20. *καθ' ἣν γὰρ τὸ πάσχον πάσχει τι, ὅτὲ μὲν ἐὰν ὁτιοῦν, δυνατὸν αὐτό φαμεν εἶναί παθεῖν, ὅτὲ δ' οὐ κατὰ πᾶν πάθος, ἀλλ' ἂν ἐπὶ τὸ βέλτιον. ἔτι ἡ τοῦ καλῶς τοῦτ' ἐπιτελεῖν ἢ κατὰ προαίρεσιν — ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τοῦ πάσχειν.* Enunciatio *καθ' ἣν — βέλτιον,* quamquam particula causali *γὰρ* annexa, nullam causam praecedentium verborum *ἡ δ' ὑφ' ἑτέρου ἢ ᾗ ἕτερον* continet, immo vero duplicem passivae potentiae vim explicat. Jam in sequenti enunciatione cum Ar. activae potentiae et ipsi duplicem vim assignandam esse docuisset, addidit: *ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τοῦ πάσχειν.* Quo, quaeso, haec verba pertinent, cum antea duplex vis passivae potentiae jam explicata sit? Nonne multo magis Ar. antea pro *ἔτι ἡ τοῦ καλῶς τοῦτ' ἐπιτελεῖν* dicendum fuit: *καὶ ὁμοίως ἐπὶ τοῦ ποιεῖν?* Tantam socordiam qui in Ar. ferunt, ii videant, ne summo ingenio nimis obtrectent. Atque hoc loco Alexander ipse ad veram viam nos ducere

videtur. Illum enim ὅτὲ μὲν οὖν in textu habuisse Bonitzius optime perspexit; sed in ejusdem textu verba καθ' ἣν — πάσχει τι omnino defuisse auguror. Nam cur tandem *ipse* addidisset: τὸ γὰρ »ὑφ' ἑτέρου« τὴν παθητικὴν σημαίνει. Jam quid probabilius, quam illa verba ὅτὲ μὲν ἐὰν ὁτιοῦν — βέλτιον, ab Ar. in margine adjecta, a primis editoribus alieno loco in textum illata, deinde vario modo cum praecedentibus conglutinata esse? Itaque integram Ar. manum bono animo ita restituas: ἡ δ' ὑφ' ἑτέρου ἢ ἧ ἕτερον. ἔτι ἡ τοῦ καλῶς — βαδίζειν· ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τοῦ πάσχειν ὅτὲ μὲν ἐὰν ὁτιοῦν, δυνατὸν αὐτό φαμεν — βέλτιον. Jam videas, quam pulcherrime sententiae procedant: primum simplex potentiae vis et activae et passivae exponitur (ἡ μὲν — ἕτερον v. 19, 20), tum eodem ordine altera vis potentiae et activae et passivae explicatur; cf. eundem disputandi ordinem Θ. c. I. 1046ᵃ 16.

1020ᵃ 17. τῶν δὲ καθ' αὑτὰ τὰ μὲν κατ' οὐσίαν ἐστίν, οἷον ἡ γραμμή, ποσόν τι (ἐν γὰρ τῷ λόγῳ τῷ τί ἐστι λέγοντι τὸ ποσὸν ἐνυπάρχει). Ar. v. 15. distinguit inter quantitatem substantialem et accidentalem, deinde rursus quantorum substantialium (καθ' αὑτὰ) discernit substantias (τὰ μὲν κατ' οὐσίαν v. 17) et affectiones (πάθη καὶ ἕξεις v. 19). Priore specie lineae exemplo aptissime illustrata, adjiciuntur haec: ἐν γὰρ τῷ λόγῳ τῷ τί ἐστι λέγοντι τὸ ποσὸν ἐνυπάρχει. At hinc non probatur lineam substantiam esse, sed lineam non per accidens, sed ex sua natura (καθ' αὑτὴν) in quantitatis genus referendam esse. Namque, ut exemplis rem illustrem, in definitionibus prioris speciei categoriae relationis (ἥμισυ, ἡμιόλιον) ipsum

genus relationis semper inesse debet[1]), nec tamen dignitatem substantiarum Ar. illis tribuit. Itaque non a vero aberrabimus, si verba *ἐν γὰρ — ἐνυπάρχει* post *καθ' ἑαυτό* (v. 16) posuerimus.

1032ᵇ 15. *τῶν δὲ γενέσεων καὶ κινήσεων ἡ μὲν νόησις καλεῖται ἡ δὲ ποίησις, ἡ μὲν ἀπὸ τῆς ἀρχῆς καὶ τοῦ εἴδους νόησις, ἡ δ' ἀπὸ τοῦ τελευταίου τῆς νοήσεως ποίησις.* Verba quae sequuntur *ὁμοίως δὲ καὶ τῶν ἄλλων τῶν μεταξὺ ἕκαστον γίγνεται* ad hanc sententiam minime referri possunt, sed cum iis, quae antea v. 11—15 exposita sunt, arctissime cohaerent. Nam cum antea Ar. in universum sanitatem ex notione sanitatis effici docuisset, nunc eandem rationem (*ὁμοίως*) ad singulas partes (*ὁμαλότητα, θερμότητα*), unde perfecta atque absoluta sanitas prodeat, transfert. Perperam igitur verba *τῶν δὲ — ποίησις* ordinem disputationis interrumpunt, nec quo pertineant difficile cognitu. Etenim cum Ar. v. 9 et 10 operationis (*ποιήσεως*) obiter mentionem fecisset, postea in margine sui exemplaris, quomodo operatio a meditatione differat, adnotasse videtur.

1037ᵇ 7. *νῦν δὲ λέγωμεν πρῶτον, ἐφ' ὅσον ἐν τοῖς ἀναλυτικοῖς περὶ ὁρισμοῦ μὴ εἴρηται.* Disputationem in cap. XII institutam ab alia vel antecedente vel subsequente distingui, verba »*νῦν δὲ*« summo cum pondere in fronte enunciationis posita monent. In iis autem, quae proxime antecedunt, nihil invenitur, quod illi *νῦν δὲ* respondeat. Sed ante eam partem, qua capita prioris partis libri *Z.* comprehenduntur, loco non minus acuto legimus *σκεπτέον*

---

[1]) cf. categ. 8ᵃ 31.

ὕστερον, nec dubium, quin haec verba cum initio capitis XII arctissime cohaereant. Quomodo enim partes definitionis vel partes rei in unitatem coalescant, postea (ὕστερον) se demonstraturum esse (*H.* c. VI et *Λ.* ubi vide c. X. 1075ᵇ 34—37). Ar. pollicetur; nunc autem ea primum (πρῶτον i. e. priusquam illam quaestionem solvat), quae in analyticis de definitionibus nondum explicita sint, disceptare vult. Itaque haud scio, an verba ἐπὶ δὲ τῶν — ὕστερον 37ᵃ 17—20 in fronte cap. XII ponenda sint. Partem autem interjectam ᵃ 20—ᵇ 7, in qua capita disputationis ordine diverso, ac in pleniore expositione, comprehendi notes, postea ab Ar. in margine adjectam et ab editore horum librorum importuno loco positam esse crediderim.

1038ᵇ 12. τίνος οὖν οὐσία τοῦτ' ἔσται; ἢ γὰρ ἁπάντων ἢ οὐθενός. ἁπάντων δ' οὐχ οἷόν τε· ἑνὸς δ' εἰ ἔσται, καὶ τἆλλα τοῦτ' ἔσται· ὧν γὰρ μία ἡ οὐσία καὶ τὸ τί ἦν εἶναι ἕν, καὶ αὐτὰ ἕν. Extrema enunciationis pars ὧν μὲν γὰρ — ἕν proximam sententiam ἑνὸς δ' εἰ — ἔσται haud quaquam probat. Nam thesis, universale quoddam unius rei praedicatae substantialem naturam non significare, minime firmatur ea ratiocinatione, quae plurium rerum unam (ὧν μὲν γὰρ μία) substantiam communem esse sumit. Sed nemo non videbit, hac argumentatione optime antecedentia verba (ἁπάντων δ' οὐχ οἷόν τε·) muniri. Itaque trajectis verbis legendum esse censeo: ἁπάντων δ' οὐχ οἷόν τε· ὧν γὰρ μία — αὐτὰ ἕν. Nec tamen video, quomodo omnino interjecta verba ἑνὸς — ἔσται quadrent. Ar. enim universalia aut omnium rerum, de quibus praedicentur, aut nullius esse substantias statuerat. Jam cum

posterioris dilemmatis membri excutiendi labore supersedisset, argumentatio priore membro disceptato absoluta fuit. Itaque proclivis sum, ut illa verba ad ipsius dilemmatis rationem confirmandam postea ab Ar. adjecta esse credam; quae quidem opinio etiam tempore futuro probari videtur: tertium non datur, nam si e. g. illud universale unius rei substantia esset, reliquae res ab illa una non differrent.

1043ᵇ 4. *οὐ φαίνεται δὴ ζητοῦσιν ἡ συλλαβὴ ἐκ τῶν στοιχείων οὖσα καὶ συνθέσεως, οὐδ' ἡ οἰκία πλίνθοι τε καὶ σύνθεσις. καὶ τοῦτο ὀρθῶς· οὐ γάρ ἐστιν ἡ σύνθεσις οὐδ' ἡ μῖξις ἐκ τούτων ὧν ἐστὶ σύνθεσις ἢ μῖξις· ὁμοίως δὲ οὐδὲ τῶν ἄλλων οὐθέν, οἷον εἰ ὁ οὐδὸς θέσει, οὐκ ἐκ τοῦ ὁδοῦ ἡ θέσις, ἀλλὰ μᾶλλον οὗτος ἐξ ἐκείνης.* Tantum abest, ut verba extrema inde ab *οὐ γάρ ἐστιν* aedificium non ex constructione compositum esse demonstrent, ut rem contrariam concedant: *ἀλλὰ μᾶλλον οὗτος ἐξ ἐκείνης.* His enim verbis quaestio disceptatur, utrum compositio ex re composita, an res composita ex compositione fiat; dubitationis autem, num compositio partem rei compositae efficiat, ratio nulla habetur. Quid enim? Nonne eodem jure non lignum ex limine sed limen ex ligno fieri contendi potest? Hanc torpidam socordiam ne Ar. obtrudamus, nescio, an haec verba *οὐ γὰρ — ἐκείνης* post *τὸ ἐκ τούτων* (v. 18) ponenda sint sic ut formam non ex rebus forma praeditis nasci demonstrent. Attamen res valde dubia est.

1048ᵇ 6. *λέγεται δὲ ἐνεργείᾳ οὐ πάντα ὁμοίως, ἀλλ' ἢ τῷ ἀνάλογον, ὡς τοῦτο ἐν τούτῳ ἢ πρὸς τοῦτο, τόδ' ἐν τῷδε ἢ πρὸς τόδε· τὰ μὲν γὰρ ὡς κίνησις πρὸς*

δύναμιν, τὰ δ' ὡς οὐσία πρός τινα ὕλην. Verbis *ἀλλ' — τόδε* similitudinem earum rerum, quae actu esse dicantur, ad aequalem proportionem restringi et Alex. et recentiores interpretes censuerunt. At ut jejunam ejusdem rei ([a] 36 — [b] 4) repetitionem (*ὑπόμνησίς ἐστι τῆς ἀναλογίας* Alex.) praeteream, verba ipsa hanc interpretationem respuere videntur. Nam cur, quaeso, Ar., si unam proportionem inter omnes res, quae et actu et potentia sint, intercedere urgere voluisset, non simpliciter, ut supra, dixisset: *ὡς τοῦτο πρὸς τοῦτο?* Atque videamus, ne ipsum illud discrimen inter duplicem actus potestatem in formulis *ἐν τούτῳ ἢ πρὸς τοῦτο* absconditum lateat. Distinguit enim Ar. inter formam substantiamque (*οὐσίαν*), quae respectu rudis materiae, et motum vigoremque, qui respectu torpidae inertiae actu esse dicantur. Jam ut forma in materia esse sive materiae impressa esse optime dicitur, sic nemo motum inertiae insidere sive vigiliam somnio inesse dicet. Posteriore enim in genere actus proportio non sic: »*ὡς τὸ ἐγρηγορὸς ἐν τῷ καθεύδοντι*« sed hoc modo »*ὡς τὸ ἐγρηγορὸς πρὸς τὸ καθεῦδον*« instituitur. Itaque virgula post *ἀνάλογον* sublata sic explicari debet: actu esse non omnia eodem modo dicuntur, sed duabus certe rationibus iisque, ut analogia utar, ut hocce in hocce . . . Sed nondum mihi satisfacio; pungit enim illud *ἀλλ' ἤ*. Atque iterum iterumque Alex. rimatus particulas *ἀλλ' ἤ* in ejus textu defuisse spoponderim. Nam Alexander si nostrum textum habuisset, numquam hanc interpretationem dedisset: *τὸ »ἀλλ' ἤ — τόδε«* (lemmatis nulla fides habenda est) *ὑπόμνησίς ἐστι τῆς ἀναλογίας, ὡς εἰ ἔλεγεν ὅτι τὰ ἀνάλογον λεγόμενα.* Itaque mihi valde verisimile esse videtur

verba *τῷ ἀνάλογον ὡς — τόδε* primo ab Aristotele ad sequentia *τὰ μὲν — ὕλην* in margine adjecta, deinde ab editoribus alieno loco in textum illata, postremo denique particulis *ἀλλ' ἢ* cum proximis verbis conjuncta esse. Vides, quantas turbas imperita editoris manus excitaverit!

1051ª 29. *ὥστε φανερὸν ὅτι τὰ δυνάμει ὄντα εἰς ἐνέργειαν ἀναγόμενα εὑρίσκεται. αἴτιον δ' ὅτι νόησις ἡ ἐνέργεια· ὥστ' ἐξ ἐνεργείας ἡ δύναμις· καὶ διὰ τοῦτο ποιοῦντες γιγνώσκουσιν· ὕστερον γὰρ γενέσει ἡ ἐνέργεια ἡ κατ' ἀριθμόν.* Merito Bonitzius haesitat, quomodo extrema sententia, particula *γὰρ* agglutinata, cum prioribus cohaereat. Nec commode praecedentes sententiae *ὥστε ἐξ ἐνεργείας ἡ δύναμις* et *καὶ — γιγνώσκουσιν* se excipere videntur, siquidem posterior multo magis causam prioris indicat. Itaque fortasse inverso ordine legendum est *ὥστε — εὑρίσκεται· καὶ διὰ τοῦτο ποιοῦντες* (i. e. *τὰς γραμμὰς δυνάμει οὔσας εἰς ἐνέργειαν ἀνάγοντες*) *γιγνώσκουσιν· ὥστε ἐξ ἐνεργείας ἡ δύναμις.* Sed cum haec conclusio cum singulis rebus, in quibus potentia actui praecedere soleat, pugnare videatur, Ar. causam, cur in rebus mathematicis ordo invertatur, addidit his verbis: *αἴτιον δ' ὅτι νόησις ἡ ἐνέργεια·* (i. e. causa autem in eo collocata est, quod hic quidem actus cogitatio est) *ὕστερον γὰρ γενέσει ἡ ἐνέργεια ἡ κατ' ἀριθμόν* (i. e. quod enim ad generationem attinet, actus posterior est singularum quisque rerum). Quodsi articulo *ἡ* (*νόησις ἡ ἐνέργ.*) acutiorem vim tribui, hoc de industria feci. Saepenumero enim Ar. rem, de qua agitur, ita mero articulo pressit, ut articulus vim pronominis demonstrativi aequet, sic 46ᵇ 36 *φανερὸν οὖν ὅτι — ἁρμόζει τῆς ζητήσεως ὁ τρόπος* i. e. *οὗτος ὁ εἰρη-*

μένος τρόπος; 74[b] 14 *ἐξ ἀναγκαίων ἄρα δεῖ εἶναι τὸν συλλογισμόν* i. e. syllogismum demonstrativum, de quo quaestio instituta est; 984[a] 2 *τετύχηκεν οὖσα περὶ τῆς φύσεως ἡ δόξα* i. e. haec sententia, ex qua omnes res ex aqua condensatae esse dicantur. Nec male articulus hac insigniore vi instructus rei praedicatae additur, sic 1081[a] 7 *καὶ τὰς ἰδέας οὐκ ἐνδέχεται εἶναι τοὺς ἀριθμούς* i. e. eos numeros, quos Platonici statuerunt.

1058[b] 18. *ἢ ὅτι ἔνεστιν ἐν τῷ λόγῳ ἐναντίωσις; καὶ γὰρ τοῦ λευκοῦ ἀνθρώπου καὶ μέλανος ἵππου.* Quid extrema verba *καὶ — ἵππου* hoc loco sibi velint, equidem non perspicio; gradatio certe, quae conformatione grammatica (*καὶ γὰρ*) indicatur, nulla est. Immo vero ad gravius argumentum ascenderet oratio, si nullum discrimen caloris, ut quod a materia ducatur, spectaretur. Aptiore fortasse loco illa verba post *οἱ λόγοι αὐτῶν* (v. 18) legerentur hoc sensu: nam et albi hominis et nigri equi, ut rerum singularum (*τωνδὶ*) esse possunt (sc. *οἱ λόγοι*), in quibus aperta materiei — nimirum caloris — differentia cernatur.

1071[a] 18. *πάντων δὴ πρῶται ἀρχαὶ τὸ ἐνεργείᾳ πρῶτον τοδί, καὶ ἄλλο ὃ δυνάμει. ἐκεῖνα μὲν οὖν τὰ καθόλου οὐκ ἔστιν.* Cum sententia, quae particula *δὲ* vel simili quadam huic *ἐκεῖνα μὲν* ... ex contraria parte ponatur, non subsequatur, structura valde claudicat. Praeterea non video, quomodo altera sententia *πάντων δὴ* ... ex praecedenti *ἔτι — οὔ* concludi possit, ut quae ipsa explicatione et confirmatione indigeat. Itaque suspicor transpositis sententiis sic legendum esse: *ἐκεῖνα μὲν οὖν τὰ καθόλου οὐκ ἔστι, πάντων δὲ πρῶται ἀρχαὶ τὸ ἐνεργείᾳ πρῶτον τοδί, καὶ ἄλλο ὃ δυνάμει.*

1070b 24. *καὶ εἰς ταῦτα διαιρεῖται ἡ ἀρχή.* Eadem verba infra b 29 redeuntia Bonitzius ex auctoritate cod. Ab et Alex. delevit. Sed recte idem in obs. p. 130 censuerat aptissime illa verba in posteriore loco, minus apte in priore legi; priore enim loco multo magis exspectatur: *καὶ εἰς ταῦτα διαιρεῖται τὰ αἴτια.* Doleo igitur Bonitzium postea diplomaticae rei tantum tribuisse, ut sententiam suam immutaret. Res autem ita explicanda esse videtur. Ar. illa verba in margine sui exemplaris adjecerat, unde ab altera familia codd. nobis ignota post *οἰκοδομική*, ab altera (Ab Alex.) post *ἄμφω* collocata sint. Deinde autem hae duae familiae codd. ita contaminatae sunt, ut illa verba utroque loco ponerentur (codd. rell.).

1077a 24. *ἔτι αἱ γενέσεις δηλοῦσιν — ἂν εἴη τὸ ἀξίωμα* 31. In ea parte cap. II, quae proxime antecedit (15—24), Ar. mathematica corpora naturalibus non priora esse docuerat; novum autem argumentum ad hanc sententiam confirmandam nostris verbis addi exordium monet: *ἔτι.* Sed tantum abest, ut haec res demonstretur, ut quomodo res mathematicae ipsae inter se dignitate differant quaeratur. Cum porro praecedens argumentatio et ipsa natura generationis nitatur (19 *τὸ γὰρ ἀτελὲς μέγεθος γενέσει μὲν πρότερον*), nunc non tamquam nova argumentandi ratio addi debuit: *ἔτι αἱ γενέσεις δηλοῦσιν.* Aptissimum autem locum haec verba tenebunt, si totam disputationem 24—31 post v. 36 *ἐφαίνετο πάσχειν* collocaverimus.

Sub finem denique hujus disputationis partis locum longe turbatissimum tractemus, libri *Λ*. dico capp. II, III vel potius 1069b 3—70a 30. Tam crebro enim in his capitibus ordo disputationis foede interrumpitur, tot membra

arctissime cohaerentia violenter divulsa sunt, ut hoc potissimum loco hypothesin nostram de notis primo in margine adscriptis deinde incommode in textum inlatis munire ac confirmare conemur. Quantopere autem haec capita dilacerata sint, nunc singularum partium testimoniis probabo. Atque primum ex natura mutationis materiem quandam omni mutationi subesse debere Ar. docet 9b 3 — 15 ἄμφω. Primam hanc partem optime exciperent verba πάντα δ' ὕλην ἔχει ὅσα μεταβάλλει, quibus generalis sententia ex singulis exemplis demonstraretur. Interjecto autem loco (15—24) omnem rem ex eo, quod potentia sit, in actum transduci monetur. Atque hanc disputationem interpositam esse eo aegrius fero, quia deinde (v. 26 ἀπορήσαιε δ' ἄν τις ἐκ ποίου μὴ ὄντος ἡ γένεσις) quaeritur, quo ex genere τοῦ ὄντος res nascantur. Nam tam aperte prioribus verbis res ἐκ μὴ ὄντος δυνάμει oriri pronuntiatum est, ut non videam, quo pacto posteriore loco hac ipsa de re quaeri possit. Tribus deinde generationis principiis distinctis Ar. pergit: μετὰ ταῦτα ὅτι ἑκάστη ἐκ συνονύμου γίγνεται οὐσία (70a 5). Sed quae proxime sequuntur ad hanc rem confirmandam ne hilum quidem faciunt, immo vero sententias extremo demum in capite positas v. 28 ἄνθρωπος — ἐστίν 30 demonstrationi hujus rei inservire neminem latere potest. Quomodo autem Ar. tantum aberrare potuerit, ita mihi explico: omnis substantiarum generis mentione facta (v. 5 ἑκάστη οὐσία) Ar. occasionem arripuit, ut substantias natura procreatas et arte confectas distingueret, quo in discrimine enucleando Ar. ab alia re in aliam delatus est. Sed mirum in modum ipsa interposita verba rursus disjecta sunt. Nam verba οἷον πῦρ — τελευταία

(v. 19—21) cum antecedentibus *ὕλη καὶ ὑποκείμενον* (v. 11) conjungenda esse et acutissime et rectissime perspexit Alexander[1]). Sed hac expositione res nondum confecta est; cuivis enim in mentem venire debet, qua tandem de causa his potissimum in capitibus ordo sententiarum tam lăceratus sit, atque tot notae margini adjectae fuerint. Hoc forti et casui tribuere temerarium est, secretior aliqua causa subesse debet, sed de hac re in altera commentationis parte dicemus.

Primus textus notis in margine adjectis contaminatus.

981ᵇ 2. *τοὺς δ', ὥσπερ καὶ τῶν ἀψύχων ἔνια, ποιεῖν μέν, οὐκ εἰδότα δὲ ποιεῖν ἃ ποιεῖ, οἷον καίει τὸ πῦρ. τὰ μὲν οὖν ἄψυχα φύσει τινὶ ποιεῖν τούτων ἕκαστον, τοὺς δὲ χειροτέχνας δι' ἔθος, ὡς οὐ κατὰ τὸ πρακτικοὺς εἶναι σοφωτέρους ὄντας.* Verba extrema inde ab *ὡς οὐ* ex sententiarum connexu ad proximam vocem *χειροτέχνας* referri non posse, immo vero cum prioribus verbis *μᾶλλον εἰδέναι — καὶ σοφωτέρους* ᵇ 1 necessario conjungenda esse interpretes viderunt. At grammaticae leges prohibent, quominus talem rationem ineamus, praesertim cum haec mem-

---

[1]) Miror Bonitzium in edit. ab hac sententia recessisse, qui utinam magis respexisset particulam *γὰρ* (*ἅπαντα γὰρ*) vel maxime alienam, si vulgatum ordinem retinemus. Nec in prioribus verbis *οἷον πῦρ — κεφαλή* explicandis Bonitzius mihi satisfecit. Nonne in ista explicatione multo magis *αὐτοπῦρ αὐτοσὰρξ αὐτοκεφαλή*, aut casu genitivo *πυρὸς σαρκὸς κεφαλῆς* dicendum fuit? Praeterea omnino non perspicio, cur Ar. non solemnia idearum exempla laudaverit.

bra quatuor versibus iisque diversam sententiam includentibus interrupta sint. Nec difficultatem verbis *τοὺς δὲ ὥσπερ — ἔθος* uncis inclusis tollere licet, quippe quorum structura non libera sit, sed a praecedenti *νομίζομεν* pendeat. Accedit, quod cod. D[b] et A[b] p. m. *τοὺς δὲ — ἔθος* omittant, nec Alex. explicet. Sed caveas, ne hinc illa verba spuria esse cum Schweglero censeas; illa enim verba ab Ar. postea rem dilatante in margine adjecta sunt, unde altera codd. familia ea omisit, altera post *ἴσασιν* interjecit. Fortasse tamen transpositione quoque difficultas tolli potest, verbis *τοὺς δὲ — ἔθος* post *γνωρίζειν* (v. 6) trajectis.

981[b] 25. *εἴρηται μὲν οὖν — μᾶλλον* [a] 1. Verbis extremis: »*ὥστε, καθάπερ εἴρηται πρότερον, ὁ μὲν ἔμπειρος τῶν ὁποιανοῦν ἐχόντων αἴσθησιν εἶναι δοκεῖ σοφώτερος, ὁ δὲ τεχνίτης τῶν ἐμπείρων, χειροτέχνου δὲ ὁ ἀρχιτέκτων, αἱ δὲ θεωρητικαὶ τῶν ποιητικῶν μᾶλλον*« ea, quae supra latius exposita sunt, strictim comprehenduntur: experientiam sensu, artem experientia, disciplinas denique theoreticas practicis praestare. Quae res cum in priore capitis parte usque ad *ἱερέων ἔθνος* (1[b] 25) expositae sint, verba *ὥστε — μᾶλλον* statim post *ἔθνος* multo concinnius adnecterentur. Nunc verbis interpositis *εἴρηται — πάντες*, ut ex quibus nulla conclusio fiat, perincommode interrumpuntur. Accedit, quod eo loco, quo nunc verba *ὥστε μᾶλλον* leguntur, necessario post *αἱ δὲ θεωρητικαὶ τῶν ποιητικῶν* addenda fuerint haec fere: *ἡ δὲ σοφία τῶν ἄλλων θεωρητικῶν* [1]), ne ea, quae in verbis *οὐ δ' ἕνεκα — πάντες* laterent, in conclusione particula *ὥστε*

[1]) cf. *E.* c. I, 1026[a] 23.

indicata negligerentur; nam practicis quidem disciplinis non magis prima philosophia quam mathematicae disciplinae praestant. Difficultas vero augetur fine cap. I et initio cap. II acrius inspectis. In initio enim cap. II Ar. indicat hoc: priore capite demonstratum esse, a sapienti principia explorari debere, sed quae illa sapientiae principia sint, nunc investigandum esse. Atque omnes disciplinas, quae sint rerum principia, demonstrare Ar. in priore capite 981ᵇ 1—12 optime illustraverat. Sed si verba *εἴρηται — πάντες* genuina essent, altera quoque propositio in priore capite jam confecta esset. Nec quidquam excusationis hinc cum Bonitzio petendum est, quod Ar. hanc rem in priore capite contendat, in altero demonstret. Ita enim in secundo capite Ar. de philosophiae principiis disputat, tamquam nihildum de hac re significatum sit. Quas ob causas valde eo inclino, ut verba *εἴρηται — πάντες*, quibus ethica cum metaphysicis connecterentur, postea ab Ar. leviter addita fuisse censeam. Sin quis autem hanc sententiam audaciorem esse putaverit, is certe concedet majorem interpunctionem ante *ὥστε* ponendam esse.

1003ᵇ 36. *καὶ τῶν ἄλλων τῶν τοιούτων καὶ τῶν τούτοις ἀντικειμένων. σχεδὸν δὲ πάντα ἀνάγεται τἀναντία εἰς τὴν ἀρχὴν ταύτην. τεθεωρήσθω δ' ἡμῖν ταῦτα ἐν τῇ ἐκλογῇ τῶν ἐναντίων.* Verba *καὶ τῶν τούτοις ἀντικειμένων* ab Brandisio ac Bekkero plerosque codd. secutis omissa sunt, quia infra demum de rebus oppositis in eadem scientia tractandis Ar. disputet 4ᵃ 9—28, quamquam illa quoque in parte perplexiorem disputandi ordinem esse postea dicemus. Sed multo majore vitio universus locus laborat. Nam quo refers illud *ἀρχὴν ταύτην?* Referendum enim

esse ad opposita membra unitatis et multitudinis liquet, sed haec res in praecedentibus verbis ne tacta quidem est et infra demum exponitur (v. 17). Deinde optime Ar. v. 22 et 23 contrarietatem in ordinem oppositorum membrorum ita refert, ut oppositio generis, contrarietas speciei vice fungatur; hoc autem loco, vix paucorum versuum intervallo distante, contrarietas oppositionem aequat; nam, ni fallor, is est connexus sententiarum ut *τὰ ἐναντία* (4ª 1) non differant ab *ἀντικειμένοις* (3ᵇ 36), modo allatis. Quam inconcinne haec omnia disputata sint, maxime collato eodem tractatu in libro *K* c. III. 1061ª 10—15 apparet. Accedit denique, quod in eodem capite extremo 4ᵇ 27—35 reductio contrariorum membrorum ad primam unitatis multitudinisque contrarietatem et dilucidius et uberius ab Ar. exponitur. Jam quod supra indicavi, sequentes quoque sententiae turbatae sunt. Nam cum Ar. primo oppositas res ab eadem scientia tractandas esse, *sumsisset* (v. 9 *ἐπεὶ δὲ μιᾶς — τἀντικείμενα θεωρῆσαι*), postea ad eandem hanc rem in simplici negatione et privatione demonstrandam recurrit (10—16). Sed, si quid perspicio, hoc Ar. menti obversabatur: cum quatuor distinguantur oppositionis genera: *ἀπόφασις, στέρησις, ἐναντιότης, τὰ πρός τι*[1]), extremum autem genus hic in censum non vocandum fuerit, ita Ar. disputationem instituisse videtur, ut in privatione atque negatione directa demonstratione uteretur, contrarietatem autem per mediam differentiae (*διαφορᾶς*) notionem ad illa duo genera referret. Sed universus locus inde ab 3ᵇ 36 usque ad 4ª 22 ita

[1]) cf. *Δ* c. X, cat. c. X.

turbatus est, ut manu correctoris aliquid emendari posse desperem. Multo verisimilius est, Ar. hunc librum retractantem alia adjecisse, alia immutasse correxisseque, quae cum conjuncta in textum illata sint, ordinem disputandi laceratum esse.

1004b 18. *σημεῖον δέ· — οὖσα δ' οὔ* 26 Verborum »*ἡ γὰρ σοφιστικὴ φαινομένη μόνον σοφία ἐστί, καὶ οἱ διαλεκτικοὶ διαλέγονται περὶ ἁπάντων, κοινὸν δὲ πᾶσι τὸ ὄν ἐστιν· διαλέγονται δὲ περὶ τούτων δῆλον ὅτι διὰ τὸ τῆς φιλοσοφίας εἶναι αὐτὰ οἰκεῖα*« quam difficillima sit conformatio, ex interpretum editorumque conatibus cognosces, quorum Sylb. Bekk. Brand. parenthesin post *ἁπάντων*, Winkelmannus et Schweglerus post *ὄν ἐστιν*, Bonitzius denique primo post *σοφία ἐστί* clusit, postea prorsus sustulit. Sed primum *διαλέγονται δὲ* ita unice praecedentibus *ταὐτὸν μὲν* respondent, ut interruptam orationem aegre feram. Deinde prior pars *ἡ γὰρ — ἐστί* iisdem fere verbis paullo post 26 *ἡ δὲ σοφιστικὴ φαινομένη, οὖσα δ' οὔ* repetitur, posterior vero *καὶ αἱ . . . περὶ ἁπάντων, κοινὸν δὲ πᾶσι τὸ ὄν ἐστιν* ita quaestionem dirimit, ut sequentia verba *διαλέγονται δὲ — οἰκεῖα* aut supervacanea, aut ita cum posteriore parte conjungenda sunt, ut ad sophisticam artem referri nequeant. Quod si feceris, imperfecta manet demonstratio. Violatam denique orationis elegantiam iteratis eisdem verbis *διαλέγονται δὲ* afferre aliquis poterit, quod ipse tamen non urgeo. Id certe consequitur duas illas partes importunas esse, optimeque ita explicari, ut priorem textum una cum pleniore disputatione in margine adjecta in textum irrepsisse statuamus.

1004b 29. *τὰ δ' ὄντα — πλῆθος* 5a 5. Quo refers *πάντα δὲ καὶ τἄλλα?* ad principia contraria priorum philosophorum proxima in enunciatione (31 — 33) enarrata referri nequeunt, quia haec ad unitatem et multitudinem neutiquam reducta sunt. Manifesto respiciuntur priora verba *οἷον στάσις τοῦ ἑνός, κίνησις δὲ τοῦ πλήθους.* Quid vero? universus locus *πάντα — ἡμῖν* unice ad reducendas contrarias partes, non ad principia contraria priorum philosophorum pertinet; atque philosophorum contraria principia ad novam argumentationis partem verbis *αἱ δ' — πίπτουσιν* inclusam trahenda sunt. Sic enim Ar. argumentatur: quidquid sit ex contrariis principiis concretum esse priorum philosophorum consensus statuit, omnia autem contrarii genera ad unitatem et multitudinem rediguntur, hae denique primariae notiones philosopho tractandae sunt: ergo quidquid est, qua est, philosophiae assignari debet. Inde probabile fit, verba *τὰ δὲ ὄντα — νεῖκος* postea ab Ar. in locum exilioris disputationis *αἱ δ' ἀρχαὶ — πίπτουσιν* substituta, deinde ab editore confuse in textum illata esse.

1006a 26. *ἔτι δὲ — ἔχοι* v. 28. Haec verba ex duplice recensione fluxisse cum idem sententiae tenor tum repetita eadem verba manifesto demonstrant. Accedit, quod externo quoque testimonio codd. veterumque commentatorum adjuvamur. Nam cum duplex apographum ex schedis Ar. Eudemo traditis confectum esse videatur, alter temere et priora et recentiora confudit, alter prudentius recentiora, opinor, tantum elegit.

1026a 23. *ἀπορήσειε γὰρ ἄν τις πότερόν ποθ' ἡ πρώτη φιλοσοφία καθόλου ἐστίν, ἢ περί τι γένος καὶ*

φύσιν τινὰ μίαν. In libri *E.* cap. I, quod ad quaestionem, quomodo libri metaphysici cohaereant vel maxime, me judice, attentendum est, priore parte Ar. tria genera theoreticarum disciplinarum mathematicam, physicam, theologiam acutissime distinxerat, et theologiae sive primae philosophiae disceptationem de primis immotis atque per se existentibus substantiis vindicaverat. Nunc ex ratione, quae inter arithmeticam et inferiores mathematicae scientiae partes intercedat, primam philosophiam eandem de ente, qua ens, ob id ipsum, quia prima sit (καὶ καθόλου οὕτως ὅτι πρώτη v. 30), agere Ar. argumentatur. Haec sententia si probata erit, praeposita verba particula causali γὰρ annexa ex eo loco, quem nunc teneant, amovenda esse apparebit. Nam ne ulla quidem res inest, qua praecedens sententia confirmetur. Itaque vix ulla dubitatio relinqui potest, quin haec verba postea demum ab Ar. ad extrema capitis verba »καὶ καθόλου οὕτως ὅτι πρώτη« in margine adjecta esse censeamus. Id enim Ar. his verbis indicare voluisse videtur: dixi primam philosophiam, ut primam, universalem esse: facile enim aliquis dubitare potest, num sit prima philosophia universalis.... Atque si quis me nauseare etiamnunc censet, is adeat lib. *K.* cap. VII extremam partem 1064ᵇ 3—14. Ar. enim verba, de quibus quaeritur, in margine libri *E.* adjecta, in libro *K.* breviore quidem sed multo limatiore in ordinem disputationis redegit: Hoc cum Ar. facere vellet, cum verbis ἀπορήσειεν ἄν nova disputationis pars incipienda fuit. Explosa igitur particula causali γὰρ substituit particulam δέ.

1035ᵃ 21. διόπερ οὐδ' ἐν τοῖς λόγοις. τῶν μὲν οὖν

ἐνέσται ὁ τῶν τοιούτων μερῶν λόγος, τῶν δ' οὐ δεῖ ἐνεῖναι, ἂν μὴ ᾖ τοῦ συνειλημμένου. Totum per caput decimum Ar. distinguit inter integram formam (εἶδος) et formam cum materia coalitam (συνειλημμένον): hic partes materiae respiciendas, illic omittendas esse. Hinc apparet nostro loco sub τῶν μὲν res concretas, sub τῶν δὲ puras formas intelligendas esse. Quod si probatur, non intelligitur, cur verba ἂν μὴ ᾖ τοῦ συνειλημμένου adjecta sint, quoniam in altero genere nulla res concreta continetur. Quominus autem cum Bonitzio haec verba explicationis causa addita esse censeamus, multa prohibent. Primum particulae ἂν μὴ post negationem solemni usu de exceptione quadam usurpari solent, deinde cur per ambages res negative explicetur non video, tum in illa explicatione multo magis ὅσα μὴ exspectaretur, nihil denique languidius excogitari posset. Praeterea particula οὖν multum offensionis habet. Nam in antecedenti enunciatione significationem λόγων arctioribus limitibus definitionis purae formae includendam esse connexus sententiarum demonstrat. At non ex hac angusta significatione, sed ex latissima definitionis (λόγου) vi id consequens est, quod proximis verbis proponitur (τῶν μὲν οὖν — συνειλημμένου). Jam codd. discrepantia succurrit. Atque viam corruptelae indicat fides cod. A[b] particulam οὖν omittentis, certiores nos facit lectio in margine cod. *E.* adjecta, quacum Alex. fortasse conspirat: διόπερ τοῖς μὲν ἐνέσται ὁ τῶν τοιούτων μερῶν λόγος, τοῖς δ' οὐ δεῖ ἐνεῖναι. Duplicem enim recensionem exstare crediderim, alteram: διόπερ οὐδ' ἐν τοῖς λόγοις ἐὰν μὴ ᾖ (sive omisso ᾖ cum A[b]) τοῦ συνειλημμένου (sc. ἔνεστι τὰ τῆς ὕλης μέρη), alteram: διόπερ

τοῖς μὲν (sc. δηλουμένοις [1]), quod facile ex sequenti λόγῳ subauditur) ἐνέσται ὁ τῶν τοιούτων μερῶν λόγος, τοῖς δ' οὐ δεῖ ἐνεῖναι. Hoc si quis minus probaverit, is transpositione facta legat: διόπερ οὐδ' ἐν τοῖς λόγοις, ἂν μὴ ᾖ τοῦ συνειλημμένου. τῶν μὲν οὖν....

1027ª 13. ὥστε ἡ ὕλη ἔσται αἰτία ἡ ἐνδεχομένη παρὰ τὸ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ἄλλως τοῦ συμβεβηκότος. Haec verba cum iis, quae in cap. III extremo leguntur 1027ᵇ 14 »ἀλλ' εἰς ἀρχὴν ποίαν καὶ αἴτιον ποῖον ἡ ἀναγωγὴ ἡ τοιαύτη, πότερον ὡς εἰς ὕλην ἢ ὡς εἰς τὸ οὗ ἕνεκα ἢ ὡς εἰς τὸ κινῆσαν, μάλιστα σκεπτέον« repugnare Bonitzii acumen optime perspexit [2]). Idem vir doctissimus quasdam quaestiones de causis fortuitarum rerum movit non quidem spernendas, quas tamen probare nequeo. Atque, ut a capite rei auspicemur, extremis cap. III verbis Ar. dicit: quodnam ad causarum genus illa series fortuitarum causarum reducenda sit, maxime esse quaerendum; in priore enim capitis parte Ar. exposuerat, quomodo in rebus fortuitis ab alia causa in aliam propelleremur, donec ad eam, cujus nulla causa praecessisset, perveniremus. Quamvis igitur extremam causam nulli causarum generi per se inhaerere Bonitzio largiamur, in certum tamen genus referri debet. Etenim utrum quae causa ad materiam, an ad formam, an ad motum trahenda sit, non ex causa praecedenti, sed ex re effecta dijudicatur; effectae autem rei locum hic tenet alterum membrum seriei causarum.

[1]) cf. 1030ᵇ 16.

[2]) Haec repugnantia in libro *K*. c. VIII evitata est; sed quomodo Brandisius (Berl. Akad. 34 p. 71) hanc ipsam rem libro *E* in virtutem vertere potuerit, id sane mirum.

Exemplis quamvis scabris rem illustremus. Si quis forte latere e tecto delapso caesus, later autem impetu procellae avulsus fuerit, ratio ad causam movendi reducenda est; sin cui subito in mentem venerit, in suam villam se conferre, in itinere autem a latronibus exspoliatus fuerit, causa ad finem quendam reducenda est. In omni igitur re fortuita, quo ex causarum genere res profecta sit, attento animo examinare Ar. jubet. Attenti igitur simus! Cum enim Ar. priore loco causam accidentalem ad materiam referendam esse dixerit, hoc non ad omnes res fortuitas extendi posse apparet. Antea vero (26ᵇ 35 sqq.) Ar. fortuito fieri monuerat, si forte diebus canicularibus frigore omnia torpeant, aut tempore hiberno aestu flagrent. Jam cum causas harum fortuitarum rerum unice ad materiam reducendas esse perspicuum sit, illa verba *ὥστε ἡ ὕλη — συμβεβηκότος* ad haec exempla pertinere mihi persuasum habeo. Sed quo loco verba ipsa collocanda sint, difficile est dictu, quia tota extrema pars cap. II nimis turbata est. Qua in re ad unam rem oculos lectorum direxisse velim. In praestantissima disputatione libri *K*. c. VIII prima pars hujus cap. II — 26ᵇ 35 et extrema inde ab 27ᵃ 18 brevius repetitae leguntur. In his autem partibus cap. II et per totum caput III duae potissimum quaestiones solvuntur: nullam esse scientiam rerum accidentalium et causas rerum fortuitarum primas et ipsas fortuitas nec ab alia causa profectas esse. Jam si interjecta verba respicimus, eaedem hae duae quaestiones dirimuntur: nullam artem (*τέχνην* ab *ἐπιστήμῃ* hoc loco non diversam[1])) rerum fortuitarum esse demonstratur (27ᵃ 6);

[1]) cf. Bonitz metaph. II, 46.

rerum accidentalium causas fortuitas esse iisdem fere verbis (cf. 27ª 12 et ª 31) repetitis legimus. Praeterea conclusionem: »fieri aliquid per accidens« bis repetitam invenimus 27ª 8—11 et 27ª 16, 17. Verba denique *ἀρχὴν δὲ τηνδὶ ληπτέον* optime in fronte demonstrationis essent posita, minus apte finitae argumentationi adduntur. His rebus omnibus consideratis ex contaminatis geminis expositionibus has turbas excitatas esse valde verisimile esse videtur.

1041ª 28. *τοῦτο δ' ἐστὶ τὸ τί ἦν εἶναι, ὡς εἰπεῖν λογικῶς.* Spuria haec verba esse Alex. et Schwegl. docuerunt. Bonitzius Alex. in obs. p. 130 adstipulatus, in editione obluctatur. Atque ut causam finalem ad notionem substantialem restringi posse concedo, sic causam movendi (*τὸ τί ἐκίνησε πρῶτον*) obstrepere contendo. Nec forma artificis mente concepta, sed artifex ipse movet. Itaque sententiam illorum verborum Aristotelis quidem placitis accomodatam, sed cum sequenti enunciatione haud quaquam conciliatam esse censeo. Quid igitur probabilius, quam Ar. illa verba obiter in margine adjecisse, curam autem adjectarum notarum cum primo textu conglutinandarum in futurum tempus seposuisse?

1047ᵇ 3. *εἰ δ' ἐστὶ τὸ εἰρημένον δυνατὸν ᾗ ἀκολουθεῖ, φανερὸν ὅτι οὐκ ἐνδέχεται ἀληθὲς εἶναι τὸ εἰπεῖν ὅτι δυνατὸν μὲν τοδί, οὐκ ἔσται δέ.* Cum hac in enunciationis conformatione necessario *τὸ εἰρημένον* subjecti, *δυνατὸν* praedicati partes sustineant, ambiguum est, quid sit illud *εἰρημένον.* Nam non unum, sed permulta exempla potentiae in priore capite allata sunt. Nec omnino certum exemplum, sed generalis sententia exspectatur. Unde hoc

Ar. menti obversatum esse puto: si quid secundum ea, quae in priore capite exposuimus, possibile est, qua sequitur: *εἰ δ' ἐστί τι κατὰ τὸ εἰρημένον.* Sed quomodo praepositio *κατὰ* exciderit, intelligi nequit. Itaque lectione cod. A[b] edoctus crediderim primo Ar. scripsisse: *εἰ δ' ἔστι τὸ εἰρημένον* (i. e. si certum est, quod in priore capite ([a] 24—29) expositum est), deinde negligentius explicandi causa addidisse: *τὸ δυνατὸν ᾗ ἀκολουθεῖ.*

Plura exempla addere possem; sed, si qua in re, hic modus teneri debet, ne locis minus probabilibus rei ipsi noceamus. Praeterea in re gravissima juvenili ardori nimis confidere nolui, sed judicia virorum doctorum exspectare mihi placuit. Sed si sententia mea probatur, ex mutilo et imperfecto opere magna utilitas nobis parata est, ut cognoscere possimus, quam rationem Ar. in libris componendis et elaborandis inierit.

DE SERIE LIBRORUM METAPHYSICORUM.

De ordine librorum metaphysicorum scripturus primum veniam a judicibus benevolis peto, si quaestionem difficillimam, a tot viris doctissimis amplissimisque disceptatam, ego juvenis suscipere audeo. Procacis audaciae ne me accusent modesto animo oro; nam non inani vanitate pellectus, sed uno veri investigandi studio ductus nefas duxi silentio abscondere, si quam lucem rei gravissimae affundere possim. Sed ne hanc quaestionem nimis dilatarem, strictim meam opinionem proponere nec ubique in ea, quae alii de hac re senserint, excurrere mihi placuit. Eo majorem autem excusationem hoc consilium meae disputationis habebit, quia nuperrime Bonitzius in editione sua statum causae insigni perspicuitate explanavit.

Atque utinam mihi liceret, justa via ac ratione consilium et ordinem horum librorum persequi. Sed ea sors mihi obvenit, ut pedem proferre nequeam, ni antea obstacula amoverim. Singulis igitur difficultatibus pensitatis, atque diffusa quaestione in arctiores arctioresque limites constricta, sub finem demum sententiam meam plenam ac perfectam proponam. Ea autem est rei tractandae natura,

ut ab extremis libris *M. N.* ordiri atque hinc ad priores revolvi praestet. Extremos enim libros *M. N.*, ut qui in enarrandis Platonicorum et Pythagoreorum placitis versentur, magis historicam partem continere, quam cum corpore metaphysicae doctrinae conglutinatos esse, sunt, qui opinentur[1]). Sed non modo Ar. ter (1076ᵇ 1, cf. 998ᵃ 7—19; 1077ᵃ 1, cf. 997ᵇ 12—34; 1086ᵇ 15, cf. 997ᵇ 12—34[2]) lectori quaestiones in libro *B.* disceptatas in memoriam revocat, sed etiam ea, quae in his libris disseruntur, cum consilio, quod quidem in libro *B.* Ar. sibi proposuerit, aretissime cohaerent. Duae enim potissimum res in libro *B.* disceptantur: primum, qui sit ambitus metaphysicae disciplinae (996ᵃ 18—997ᵃ 34), deinde, quae sint rerum omnium principia (997ᵃ 34—1003ᵃ 17); atque cum summa principia (*ἀκρότατα αἴτια*) in rebus aeternis quaerenda sint, posterior quaestio in hanc alteram transit: quae sint substantiae aeternae atque immotae statuendae. Ad hanc arduam quaestionem dirimendam vel maxime necessarium fuisse, ut Ar. ea, quae priores philosophi de hac re docuerint, examinaret, quis est, qui neget? Sed cum antiquiores philosophi rebus sensibilibus inhaesissent, nec quidquam gravius de

---

[1]) Brandis Gesch. d. Phil. II, 2 p. 523. Mit überwiegender Wahrscheinlichkeit darf man sie für eine jener kritischen historischen Schriften halten, die der Stagirite mit durchgängiger Beziehung auf sein eigenes Lehrgebäude und zur Orientirung über das Verhältniſs desselben zu der vorangegangenen Philosophie, wenn auch nicht als integrirenden Bestandtheil irgend einer seiner systematischen Schriften, ausgearbeitet hatte.

[2]) Quorum duos priores certe locos ad librum *K.* referri non posse magnopere notandum est.

substantiis aeternis proposuissent[1]), illorum quidem in hac metaphysica disciplina minor ratio habenda fuit. Pythagorei autem et Platonici non modo aeternas atque immotas substantias esse docuerunt, sed etiam, quae illae sint, enucleaverunt. Itaque nemini mirum videri debet, quod Ar. horum doctrinam inprimis presserit. Atque spectant ad horum philosophorum placita ea, quae Ar. in libri *B.* c. III de generibus, tamquam rerum singularum principiis, exposuit, quandoquidem Platonici generibus, quorum participatione res singulae fiant, existentiam a rebus singulis sejunctam assignaverunt; spectant ea, quae de formis rerum in idearum honorem evectis cap. IV 999ª 24—1000ª 5 et quae in universum de idearum doctrina cap. VI 1002ᵇ 12—32 exposita sunt; spectant dubitationes, quae de unitate cap. IV 1001ª 4—12 et de universali principiorum natura cap. VI 1003ª 5—17 moventur; spectant denique vel maxime ea, quae de substantialitate rerum mathematicarum cap. II 997ᵇ 12—8ª 19 et toto capite V quaeruntur. Longe major igitur pars quaestionum ad Platonicorum et Pythagoreorum doctrinam pertinet; atque aliquis dubitet, quin Ar. eas in pleniore tractatu omni ex parte excutere, quin hanc disputationem in ipsum corpus disciplinae metaphysicae intexere voluerit? Libris autem *M. N.* illas quaestiones disceptatas et summa subtilitate examinatas esse, quis non videret, etiamsi Ar. non disertis verbis[2]) rem significasset. Ar. enim, qui jam antea duobus libris *περὶ ἀγαθοῦ* et *περὶ ἰδεῶν* commenta illorum philosophorum de numeris

---

[1]) cf. 988ᵇ 22—26 et 1086ª 22—24.

[2]) Vide locos laudatos p. 89.

et ideis et enarraverit et judicaverit[1]), in his libris *M. N.* eo tantum consilio ad hanc rem recurrit, ut primae philosophiae fundamenta jaceret. Atque de mathematicis numeris et magnitudinibus subtiliter Ar. disputat *M.* c. II et III, et speciatim opprobrium disciplinis mathematicis *B.* c. II 996ª 29—35 factum repellit *M.* c. III 1078ª 31—ᵇ 6 admirabili rerum mathematicarum constantia praedicata; quaestionem de universali principiorum natura solvit *M.* c. X; sententiam Platonicorum de principiis idearum, de unitate dico et multitudine sive indefinita dualitate, uberius refellit *N.* c. I et II; per omnes denique partes lib. *M. N.* refutatio doctrinae idearum disseminata est. At aliquis objecerit, illarum quaestionum jam antea in libris *Z. H.* ab Ar. ratio habita est: Atque de ideis sane agitur *Z.* c. VIII 1033ᵇ 26 — 34ª 8, *Z.* c. XIV, *Z.* c. XV 1040ª 8—ᵇ 4, *Z.* c. XVI 1040ᵇ 21—41ª 8, *H.* c. VI 1047ª 14—20. Sed si quis omnes hos locos accuratius inspexerit, is facile videbit Ar. illis locis in transitu tantum idearum mentionem fecisse. Sponte enim res in illis libris tractatae nonnulla attulerunt, unde aliquid de idearum doctrina concludi posset, nec gravius quidquam illis locis tribuendum est. Accedit, quod de mathematicis numeris et magnitudinibus certe nihil in prioribus libris dictum invenitur. Unde sat probatur non in prioribus libris, sed nonnisi in extremis *M. N.* ad quaestiones de Platonicorum Pythagoreorumque doctrina in libro *B.* excitatas responderi.

Jam hos libros interim missos faciamus, atque ad librum *A.* progrediamur. Hic difficultates jam augentur; nam pri-

---

[1]) cf. Brandis de perd. Ar. libris de ideis et de bono p. 1—14.

mum quomodo hic liber cum totius operis consilio sive cum libro *B*, deinde quomodo cum libris extremis cohaereat, mihi demonstrandum est. Atque insignem quidem locum libro *Λ*. inter libros ad primam philosophiam pertinentes assignandum esse consensus et veterum et recentiorum interpretum affirmat. Sed quaeritur, num hic liber cum praecedentibus conglutinatus sit; quaeritur, num omnino cum ullo libro metaphysico cohaereat[1]). Nec difficillimam hanc quaestionem esse nego, praesertim cum nusquam ad alium librum metaphysicum delegamur[2]). Videamus igitur, num ex sententiis ipsis hic propositis aliquis connexus hujus libri cum aporiis elici possit. Atque Ar. in libri *B*. c. IV 1000ᵃ 5 — 1001ᵃ 3 non modo quaestionem, utrum corruptilium et aeternarum rerum eadem principia sint an diversa, uberrime tractat, sed etiam identidem prioribus philosophis exprobrat, quod hanc difficillimam rem siccis pedibus transsiluerint. Sub finem autem libri *Λ*. 1075ᵇ 13 Ar. se hanc rem, a prioribus philosophis neglectam, explicuisse non sine quadam fiducia gloriatur[3]). Num fortuitum

---

[1]) Bonitz. metaph. II p. 25 »alterum igitur in hoc libro *Λ*. videmus habere opus metaphysicum Ar., distinctum et sejunctum a superiore.«

[2]) Nam uno loco 1072ᵃ 4 *τὸ μὲν δὴ — εἴρηται δὲ πῶς* libri *Θ*. cap. VIII, ubi uberrime, qua ratione (*πῶς*) potentia prior posteriorque actu dicenda sit, explicitum est, laudari haud absonum est. Sed Bonitzius a. h. l. non spernenda huic explicationi objicit, nec omnino uni huic loco multum confido.

[3]) Solvisse enim hanc quaestionem Ar. sibi videbatur duplici motu, altero continuo ac aequali, altero inconstanti ac inaequali distincto *Λ*. c. VI 1072ᵃ 9—18 *εἰ δὴ τὰ αὐτὰ ἀεὶ περιόδῳ, δεῖ τι ἀεὶ μένειν ὡσαύτως ἐνεργοῦν· εἰ δὲ μέλλει γένεσις καὶ φθορὰ εἶναι,*

hunc concentum esse ducamus? Insuper tres alias difficultates in libro *Λ.* solutas, in libro quaestionum significatas esse judico. Primum causam finalem sive summum bonum a substantiis immotis atque a summo rerum gubernatore non exclusum esse Ar. docet distinctione inter duo genera causae finalis facta 1072ᵃ 26—ᵇ 3, cf. *B.* c. II 996ᵃ 23—29 [1]); deinde libri *Λ.* cap. VI, quo prima principia non potentia sed actu esse eximio acumine demonstratur, refero ad quaestionem de hac re disceptatam *B.* c. VI 1002ᵇ 32 — 3ᵃ 5 et 996ᵃ 11; quaestio denique, num summum principium specie (*εἴδει*) an numero (*ἀριθμῷ*) unum sit, in libri *B.* c. IV 999ᵇ 24—1000ᵃ 5 excitata et rursus 1002ᵇ 17 significata, strictim quidem sed acute dijudicatur *Λ.* c. VIII 1074ᵃ 31—38. Quatuor igitur gravissimas quaestiones ex intimo recessu metaphysicae doctrinae repetitas Ar. in libro *Λ.* solvit, aut certe solvisse sibi videtur. Si quis nihilominus omnem cohaerentiam librorum *B.* et *Λ.* infitiatur, ei sane alia argumenta suppeditare nequeo, sed ipse caveat, ne viam valde lubricam sequatur. Sciscitari enim ex illo velim, quo tandem tempore librum *Λ.* compositum esse statuat, et qui Ar. eas quaestiones, quae in libro *B.* moveantur, jam alias diremisse sibi videri potuerit. Ipse videat, quem exitum ex his tramitibus reperiat; mihi quidem libros *B.* et *Λ.* arcte cohaerere persuasum habeo.

Jam si hoc probatum erit, sponte haec altera quaestio se

ἄλλο... cf. Photii bibl. cod. 249 p. 440ᵃ 9 ed. Bekk.: *ὅτι ὁ ζωδιακὸς λοξῶς κινεῖται, ὡς ζητήσας εὑρεῖν ἔδοξεν Ἀριστοτέλης, ἕνεκεν τῆς γενέσεως τῶν περὶ γῆν τόπων.* Quod Bonitzius ex Brandisii sententia illam rem *Λ.* c. IV respici dicit (ed. II, 25), equidem non capio.

[1]) Vide nos supra a. h. l. p. 58.

offert, quae necessitudo inter libros *M.N.* et *Λ.* intercedat. Atque hac in re ipse Ar. nobis succurrit, qui in initio libri *M.* exponit haec: *ἐπεὶ δ' ἡ σκέψις ἐστὶ πότερον ἔστι τις παρὰ τὰς αἰσθητὰς οὐσίας ἀκίνητος καὶ ἀΐδιος ἢ οὐκ ἔστι, καὶ εἰ ἔστι τίς ἐστι, πρῶτον τὰ παρὰ τῶν ἄλλων λεγόμενα θεωρητέον.* Ar. igitur ex more suo pollicetur se primum placita aliorum philosophorum examinaturum, deinde ipsius doctrinam traditurum esse. Hinc apparet illud *πρῶτον*[1]) ad nullam partem librorum *M.N.* spectare, aptissime autem ad ea, quae in libro *Λ.* tractentur, referri. At hanc sententiam, cui cum alii tum Ravaisson[2]) patrocinati sunt, acriter impugnat Bonitzius[3]), nullam ejusmodi necessitudinem inter libros *M.N.* et *Λ.* intercedere dictitans. Idcirco ipse hanc spinosam quaestionem subire non aspernabor. Atque primum Bonitzius Aristotelem, si Platonicorum Pythagoreorumque placitis suae doctrinae partes opponere voluisset, talem doctrinam, qualis in libro *Z.* disceptata sit, opponere debuisse censet. At vir doctissimus utinam respexisset verba, quae illi *πρῶτον* praecedunt: *ἐπεὶ δ' ἡ σκέψις ἐστὶ πότερον ἔστι τις παρὰ τὰς αἰσθητὰς οὐσίας ἀκίνητος καὶ ἀΐδιος* ... Nonne hinc luce clarius fit, Ar. eam suae doctrinae partem opponere voluisse, ubi de immotis ac aeternis substantiis ageretur? Talis autem doctrina neutiquam inest nec libro *Z.* nec ulli alii libro metaphysico nisi libro *Λ.* uni. Sed non sum, qui hoc solo argumento contentus sim. Arist. igitur in libri *B.*

---

[1]) *πρῶτον* perverse Alex. interpretatur: *προηγουμένως ἐπιμελῶς* p. 698, 19 ed. Bon.

[2]) l. l. p. 100.

[3]) Metaph. II, 37.

c. IV 999b 24—1000a 5 quaestio, num principia speciei, an numeralem unitatem habeant, summis difficultatibus implicita esse videbatur. In libri *A.* c. VIII 1074a 31—39 numero principium summum unum esse, quippe quod materiae immune esset, Ar. dense demonstrasse modo diximus. At ut recte hoc conclusum esse concedamus, una tamen gravissima difficultas in libro *B.* mota remanet. Illic enim Ar. speciose docuerat, principiorum, si numeralem unitatem haberent, cognitionem tolli. Sed hanc ipsam difficultatem Ar. in libri *M.* c. X, distinctione inter cognitionem, quae actu (*ἐνεργείᾳ*) et quae potentia (*δυνάμει*) fiat, instituta, acutissime et *verissime* amolitus est. Quid igitur magis ex re esse videtur, quam ut haec disceptatio absoluto judicio in libro *A.* proposito praecedat? Sed etiam nonnullas disputationis partes libri *A.* ex fonte librorum *M.N.* derivaverim. Sic jam supra in parte critica significavimus in universa disquisitione l. *A.* c. IV et V examinari, num eadem, num diversa rerum omnium sint principia. Atqui hujus quaestionis in libro *B.* nulla mentio facta fuit, quamvis cognata quaestio de principiis rerum corruptilium et aeternarum diligentissime disceptata sit. Sin quis autem paullo attentius posteriorem partem l. *N.* c. III 1089a 2—90a 2 perlegerit, is intelliget, cur Ar. in libro *A.* hanc rem tam acriter excusserit. Platonici enim ex sola unitate multitudinem rerum explicare desperaverunt, assumpta autem infinita dualitate res omnes ex principiis unitatis atque dualitatis deducere conati sunt[1]). Ar. illic hoc altero prin-

---

[1]) cf. *A.* c. IX 992b 18 *ὅλως τε τὸ τῶν ὄντων ζητεῖν στοιχεῖα μὴ διελόντας, πολλαχῶς λεγομένων, ἀδύνατον εὑρεῖν* ...

cipio assumpto rerum multitudinem explicari posse omnino negat, maxime autem id Platonicis opprobrat, quod, multitudinem omnium rerum explicare professi, ea principia posuerint, unde reliquae certe categoriae praeter substantias derivari nequirent [1]). Atque notes in libri *Λ*. c. IV 1070ᵃ 33—ᵇ 4 et c. V 1070ᵇ 30—71ᵃ 3 hanc ipsam quaestionem urgeri, quomodo reliquae categoriae ex principiis communibus deduci possint. Aliam imbecillam partem Platonicae doctrinae in iis, quae de contrarietate isti docuerint, Ar. detexisse sibi visum esse cognoscimus ex 1075ᵃ 28—32. Atque profecto in l. *N*. c. I 1087ᵃ 29—ᵇ 33 sublimiter expositum est, quantopere ista doctrina rerum naturae obnitatur; ipse autem istorum doctrinae opposuit suam sententiam de mutatione inter contrarietatis membra intercedente *Λ*. c. II 1069ᵇ 2—18. Dices tam brevem disputationem numquam opponi potuisse, ea, quae in hoc capite dicta sint, brevissime adumbrata, non enucleata esse. Ipse idem sentio, sed de hac re postea dicam. Praeterea saepius in libris *M.N*. Ar. Platonicos impugnat, quia summa principia, unitatem atque dualitatem, rerum elementa (*στοιχεῖα*) esse statuerint, atque causam movendi seposuerint (1087ᵃ 30—87ᵇ 12 et 1088ᵃ 14—91ᵇ 3). Callide enim Ar. elementa ad naturam potentiae reducit (*N*. c. II init.), unde Platonicos res ex principiis, quae potentia sint, derivasse videri. Jam videamus, quam egregie Ar. in sua doctrina exponenda hunc scopulum evitaverit. Etenim cum Ar. in l. *Λ*. c. IV primum tria rerum principia: formam, privationem, materiem exposuisset, et communia

---

[1]) 1089ᵇ 20.

nomine elementorum (στοιχείων) complexus esset, quartum novum principium addendum esse docet, quod non sit στοιχεῖον sed ἀρχή τις. Nonne hic ex nominibus quoque connexus librorum *M. N.* et *Λ.* spectatur? Nam dum Ar. alias nomine στοιχείου materiem ipsam designare solet, hoc loco illud nomen ad formam et privationem transtulit, et accuratissimis limitibus e latiore vi principii (ἀρχῆς) discrevit. Sed ad talem disjunctionem Ar. coactus fuit, ut suam doctrinam a Platonica eo dilucidius distingueret. Atque videas, ne illa diremptio formalis causae, hoc uno, quod sciam, loco obvia, in formam (εἶδος) ac privationem (στέρησιν), tamquam duas peculiares causas, ex peculiari quoque ratione explicanda sit. Forma enim et privatio respondent contrariis principiis priorum philosophorum (1004ᵇ 29—31 et 1025ᵃ 28 sqq.), his materiem et causam movendi, cui bonum inhaereat, addendas esse ipse docet. Sed me jam ex subtilibus his quaestionibus revoco, ne magis vaticinari quam probare videar. Praeter ea igitur, quae ad connexum sententiarum pertinent, lectorum animos ad aequalem disputationis ordinem dirigere velim. Omnibus enim fere reliquis partibus doctrinae Platonicorum Pythagoreorumque expositis, sub finem demum disputationis l. *N.* c. IV Ar. examinat, quomodo isti bonum atque malum summis principiis, unitati atque infinitae dualitati, impertiti sint. Eundem ordinem Ar. in libro *Λ.* secutus in extremo capite exposuit, quae necessitudo primo motori cum principio boni intercedat. Atque adeo ea, quae Ar. in libro *M.* de sua doctrina tradidit, meae opinioni firmamento sunt. Nam cum Ar. in libro *Λ.* suam de primis et immotis substantiis doctrinam exponere in

animo habuisset, res mathematicae autem ab eodem substantiarum dignitate privatae essent, nec quidquam ad doctrinam de primis causis firmandam afferre possent, quaestiones de rebus mathematicis statim in subsequenti capite libri *M.* (c. III) diremit. Ex omnibus igitur iis, quae adhuc exposui, id apparere videtur: Ar., etsi nusquam vestigia Platonis in libro *Λ.* disertis verbis pressit, ubique tamen, ne iisdem, quibus isti, scopulis illideret, summopere cavit. Eo liberiore autem disputandi ordine Ar. in libro *Λ.* uti potuit, quia placita istorum in libris *M. N.* jam omni ex parte examinaverat. Ne quis igitur miretur, quod Ar. in libro *Λ.* tamquam de integro disserere orsus sit, immo vero admiretur eximiam Ar. artem, qua difficultates, quibus commenta priorum philosophorum irretiti fuerint, ipse in sua doctrina explananda diremerit. Quodsi Ar. in ipsius doctrina exponenda ordini priorum librorum *M. N.* optimo jure non arte se applicuisse concedimus, cui rei aptius disputationem adnectere potuit, quam substantiarum generibus? Quo magis autem hic disputandi ordo probabitur, si ab Ar. ipso eundem antea significatum esse docuero? Hoc ut probem, a remotiore loco mihi incipiendum est. Primi enim libri cap. II Ar. docuerat, in prima philosophia de summis rerum causis agendum esse 982ᵇ 9 *δεῖ γὰρ ταύτην τῶν πρώτων ἀρχῶν καὶ αἰτιῶν εἶναι θεωρητικήν.* Jam in initio libri *Γ.* idem demonstrat, primas causas non limitibus certi entium generis inclusas esse, sed ad omnia entia, qua entia, pariter referri debere; ipsi igitur primas causas entium, qua entia, investiganda esse *διὸ καὶ ἡμῖν τοῦ ὄντος ᾗ ὄν τὰς πρώτας αἰτίας ληπτέον* 1003ᵃ 31. Sed cum reliquae

categoriae omnes substantiis inferiores et a substantiis suspensae sint, satis esse, ut substantiarum primas causas indaget, 1003b 17 *εἰ οὖν τοῦτ' ἐστὶν ἡ οὐσία, τῶν οὐσιῶν ἂν δέοι τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς αἰτίας ἔχειν τὸν φιλόσοφον*[1]). Quid, quaeso, apertius dici potest? Aptiusne Ar. disputationem libri *Λ.* instituere potuit? At, quis dixerit, hoc quidem bene concinnatum esse concedo, sed quomodo hoc conciliari potest, quod Ar. in l. *Λ* c. II tractatum de summis principiis rerum promisit, in exordio autem libri *M.* disputationem in fines immotarum atque aeternarum substantiarum restringit? Sed ne haec quidem dissoluta sunt: primae enim causae, interitui exemptae et rebus sensibilibus superiores, nonnisi in rebus immotis et aeternis quaerendae fuerunt. Atque hoc non ipse de meo ingenio statuo, sed Aristoteles hunc connexum pluries significavit: sic in ipso libro primo 983a 8 *ὅ τε γὰρ θεὸς δοκεῖ τῶν αἰτιῶν πᾶσιν εἶναι καὶ ἀρχή τις;* saepius vero in libro *M* hoc vinculum significatum est: sic 1080a 12 *Ἐπεὶ δὲ διώρισται περὶ τούτων, καλῶς ἔχει πάλιν θεωρῆσαι τὰ περὶ τοὺς ἀριθμοὺς συμβαίνοντα τοῖς λέγουσιν οὐσίας αὐτοὺς εἶναι χωριστὰς καὶ τῶν ὄντων αἰτίας πρώτας.* cf. 1076a 30, 31, et 1086a 21 sqq. Videsne igitur ea, quae sejuncta ac divulsa esse videantur, praeclare concinere, modo quis Ar. ipsum presserit? Sed moles reliquorum librorum me monet, ne diutius in uno libro immorer.

Hoc igitur tamquam fundamento disputationis posito,

---

[1]) cf. 995b 7: *καὶ πότερον τὰς τῆς οὐσίας ἀρχὰς τὰς πρώτας ἐστὶ τῆς ἐπιστήμης ἰδεῖν.*

libros *M.N.A.* et inter se et cum libris *B.Γ.* cohaerere, videamus, qui loci reliquis assignandi sint. Atque libros *Z.H.* non ante hos libros *M.N.A.* compositos esse ex duplici argumento elucet. Necessitudo enim, quae inter rectum et acutum angulum intercedat, et quatenus alteruter prior ac posterior dicatur, l. *M.* c. VIII 1084ᵇ 7—9 carptim adumbratur, nec tamen lectores ad plenam ac perfectam hujus rei disputationem l. *Z.* c. X delegantur. Multo firmius autem argumentum positum est in l. *A.* c. II et III sive 1069ᵇ 2 — 70ᵃ 30. Capita enim pleraque rerum his in capitibus tractatarum et uberrime et accuratissime in libris *Z.H.* exponuntur: *A.* 69ᵇ 2—15 cf. *H.* c. I 1042ᵃ 26—ᵇ 9; *A.* 69ᵇ 25—28 cf. *H.* c. IV init.; *A.* 69ᵇ 38 — 70ᵃ 8 cf. *Z.* c. VII et VIII; *A.* 70ᵃ 9—14 cf. *H.* c. I 1042ᵃ 26—30 et *Z.* c. III; *A.* 70ᵃ 17, 18 cf. *H.* c. III 1043ᵃ 18—23. Atque nihil argumenti hinc peti posset, si ea, quae supra latius, hic densius ac pressius quidem, sed dilucide et ex justo ordine retractata essent. Sed quid intersit inter breviorem ac praecisiorem disputationem atque foedissimam perturbationem justi disputandi ordinis, optime intelligi potest collatis his capitibus cum libri *K.* c. I — IX. Illic omnia aperte, dilucide, limate dicta sunt; hic sententiarum ordo tam foede interruptus, tam perverse laceratus [1]) est, ut haec capita numquam ante pleniorem tractatum librorum *Z.H.* scripta esse possint. Quis enim feret auctorem, qui post plenam ac justam disputationem eadem non limatius retractat, sed turpiter dilacerat? Concludamus igitur libros *M.N.A.* non post

[1]) vide interpp. et nos pp. 75, 76.

libros *Z. H.* conscriptos esse, cui rei magnum ponderis addit consensus Brandisii Bonitziique[1]). Sed non minore jure eandem rationem ad librum *I.* transferemus. Ar. enim *N.* c. I 1087b 30—33 contendit ab iis, qui unitatem multitudini opponant, unitatem paucitatem (ὀλιγότητα) esse concedi debere. At idem Ar. per totum libri *I.* cap. VI subtiliter docuerat, quomodo haec conclusio recte evitari posset. Sin quis autem hanc rem in libro *N.* dialectice ad placita adversariorum impugnanda disputatam esse dixerit, vix omnem difficultatem tollet. Etenim Ar. in libris *M.N.* non dialectice, ut in libro *B.*, de Platonica doctrina disserit, sed quid sit verum sine ullo studio eruere conatur. Quodsi illam ratiocinationem falso institutam esse in libro *I.* jam exposuisset, vix Ar. nunc hanc difficultatem Platonicis perfide objecisset. Accedit, quod omnino nec in l. *N.* c. I uberioris de unitatis rationibus tractatus l. *I.* c. I et II, nec in *A.* c. II accuratioris disputationis de natura contrarietatis l. *I.* c. IV ulla ratio habita est[2]). Ergo ne hunc quidem librum ante libros *M.N.A.* conscriptum esse jure colligere nobis videmur. Jam ad implicatiorem quaestionem de libro *A.* progrediamur. Atque hic quidem vel maxime offendit, quod l. *M.* cc. IV et V iisdem fere verbis in l. *A.* c. IX leguntur[3]). Sed cum Ar. in eodem libro *M*, si quid in libro *B.* jam indicatum vel declaratum sit, religiose notet, non crediderim Ar. hos libros cum illa parte libri *A.* primo conjungere voluisse. Sed omnem tractatum libri *A.* de quatuor principiis

[1]) Brandis Berl. Akad. 34 p. 86., Bonitz metaph. II, 25.

[2]) cf. Bonitz metaph. II, 27.

[3]) cf. Trendelenburg: Plat. de id. et num. doct. p. 22.

(c. III — X) non ante hos libros *M. N. Λ.* scriptum esse certissimum documentum exstat *M.* c. IX 1086ᵃ 21: *περὶ δὲ τῶν πρώτων ἀρχῶν καὶ τῶν πρώτων αἰτίων καὶ στοιχείων, ὅσα μὲν λέγουσιν οἱ περὶ μόνης τῆς αἰσθητῆς οὐσίας διορίζοντες, τὰ μὲν ἐν τοῖς περὶ φύσεως εἴρηται, τὰ δ' οὐκ ἔστι τῆς μεθόδου τῆς νῦν.* At, quis objecerit, in libro *B.* ter illa pars libri *Λ.* nominatim laudatur; si tu igitur librum *B* ante *M. N. Λ.* compositum esse statuis, eadem sententia ad universum librum *Λ.* tibi transferenda est. Sed hanc difficultatem nunc quidem sepono, infra explicare conabor[1]). Ad librum *Θ.* denique duo loci apte referri possunt, alter *Λ.* c. VI 1072ᵃ 4, alter l. *N.* c. II 1088ᵇ 24. Sed cum hi loci aliter quoque cum Bonitzio a. h. l. expediri possint, dubito, num hinc quidquam argumenti peti possit. Immo vero hunc quoque librum, ut qui arctissime cum libris *Z. H.* connexus sit, post libros *M. N. Λ.* compositum esse duco.

Restant igitur libri *Λ.* c. I, II. *B. Γ. Δ.*[2]). Atque librum *B.* cum *M. N. Λ.* arctissime cohaerere tamquam fundamentum nostrae disputationis probare studuimus. Quo porro vinculo l. *Λ.* c. I, II et *Γ.* cum iisdem libris *M. N. Λ.* cohaereant, item supra[3]) demonstravimus. Quid igitur cum libro *Δ.* faciamus? Atque in libro *Λ.* 1072ᵇ 10—13. Ar.

---

[1]) Unus locus *M.* c. IX, 1086ᵇ 2 *τοῦτο δ' ὥσπερ ἐν τοῖς ἔμπροσθεν ἐλέγομεν* non ad *Λ.* c. VI, sed ad cap. IV ejusdem libri referri debet; vide Bonitz a. h. l.

[2]) Librum *α.* enim ex metaphysicis libris removendum esse cum viris doctissimis consentio; de libro *K.* autem infra meam sententiam proponam.

[3]) cf. p. 98 et 99.

opportunam occasionem libri *Δ*. c. V laudandi oblatam fuisse negari nequit. Sed hoc nullum argumentum esse ex simillimo loco intelligitur: eadem enim necessarii genera Ar. *E*. 1026[b] 28—30 memorat, nec lectorem ad librum *Δ*. delegat; atqui ipse hic liber *Δ*. in eodem capite 1026[a] 34 laudatur. Idem cadit in *I*. c. VIII 1058[a] 24, ubi Ar. lectori *Δ*. c. XXVIII in memoriam revocare omittit. Hac igitur de causa liber *Δ*. excludi non debet. Sed videamus, num libris modo enumeratis addendus sit. Hic rursus ad librum *B*. nobis recurrendum est. Quaestiones enim hujus libri ita distingui posse, ut alterae ad primas et aeternas substantias, alterae ad ambitum hujus disciplinae spectent, supra[1]) significavimus. Atque priores quaestiones in libris *M. N. Λ*. respiciuntur et dirimuntur. Quaestiones autem de ambitu hujus disciplinae solvuntur *Γ*. c. I, II, III[2]). Ex genere enim disceptandum esse, num quae res in hanc vel illam disciplinam pertineat, Ar. an. post. *Λ*. c. XXVIII docuerat: *μία δ' ἐπιστήμη ἐστὶν ἡ ἑνὸς γένους*. Hoc igitur loco Ar. necessario quaerendum fuit, quod sit genus primae philosophiae, ad quod omnes res, quas in libro *B*. indicaverit, apte referri possint. Latissimum autem genus, quod tamquam in suo gremio omnes has res contentas habeat, esse *τὸ ὄν ᾗ ὄν* in

---

[1]) p. 89.

[2]) Tertiam quaestionem *B*. c. II 997[a] 15—25, num omnia rerum (*οὐσιῶν*) genera ab eadem scientia tractentur, Bonitzius ad *E*. c. I refert; dubito, num recte. Illic enim, quomodo generalis scientia philosophica a singulis disciplinis differat, demonstratur; quomodo autem omnia entium genera ab eadem scientia suspensa sint, docetur *Γ*. c. II.

libri *Γ.* initio docetur. Sed quaenam sunt illae res, quae ad hoc genus referendae sint? Primum summa principia, quae causas *omnium* rerum contineant (*Γ.* 1003ᵃ 26—32, et 1003ᵇ 17—19); deinde axiomata, unde *omnis* demonstratio proficiscatur (*B.* 996ᵇ 26—97ᵃ 15 et *Γ.* c. III init.); postremo denique accidentia (*συμβεβηκότα*), quae per se *omnibus* rerum generibus inhaereant, et de quibus probabiliter dialecticus disserere conetur (*B.* 997ᵃ 25—34 et *Γ.* 1003ᵇ 22—1005ᵃ 18). Atque de primis principiis agitur in libris *M. N. Λ.*, de axiomatis *Γ.* c. III—VIII. Quo autem loco de accidentibus omnium substantiarum communibus disceptatur? Priusquam hanc causam dijudicemus, perscrutemur, ecquid Ar. in libris *B. Γ.* significaverit, quaenam accidentia in hunc numerum referenda sint. Atque praeter communes notiones *τοῦ ἑνὸς, πολλῶν, ταὐτοῦ, ἑτέρου, ὁμοίου, ἀνομοίου, ταυτότητος, ἀναντιότητος* videmus *B.* c. I 995ᵇ 22 relata *τὸ πρότερον καὶ ὕστερον*, in *Γ.* c. II 1005ᵃ 17 vero addita invenimus *τὸ γένος, εἶδος, ὅλον, μέρος, καὶ τὰ ἄλλα τὰ τοιαῦτα*[1]). Hoc si tenemus, librum *I.* huic rei non satisfacere intelligimus. Ut enim Ar. illic de unitate, multitudine, contrarietate, diversitate, similitudine subtiliter disputavit, ita reliquas notiones, quas modo enotavimus, non attigit. Tractatus autem

---

[1]) Brandis Berl. Akad. 34 p. 82: »In der Synonymik der Begriffe Gegensatz, Theil und Ganzes, Geschlecht, Früheres und Späteres (und der Kategorien) gehört er (sc. der Entwurf des Buches *Λ.*) dem Organon an.« Fortasse sperare possum virum doctissimum aliter judicaturum esse expensis iis, quae modo attuli. Nam in re tam lubrica nihil de arbitrio statui debet, sed explorandum, quid Ar. ipse significaverit.

de omnibus his notionibus in libro *Δ*. invenitur. Apparet igitur, quam longe a vero aberraverint illi viri, qui librum *Δ*. aut amoliri [1]), aut omnibus libris metaphysicis praeponere [2]), aut denique libro *B*. statim postponere [3]) voluerint. Arctius certe hic tractatus cum praecedenti libro conglutinatus non est, lima certe et totius libri disputatio et singula capita magnopere indigent; sed dubitari non potest, quin Ar. talem tractatum, qualis hoc libro *Δ*. adumbratus sit, libris metaphysicis immiscere, et hoc ipso loco post disputationem de primis axiomatis collocare primo voluerit. Argumentum autem, quod defensores contrariae sententiae ex libro *K*. sumserunt, non minus meae sententiae patrocinari infra expondituri sumus [4]).

Habemus igitur continuam institutionem hanc: *Δ*. c. I, II *B.Γ.Δ.M.N.Λ.*, quorum librorum multae quidem partes minus apte atque commode connexae, aut minus polite expositae, aut leviter exiliterque adumbratae sunt, sed quos omnes communis consilii vinculum concatenat. Sic demum ex turbis, quibus undique primo agitati fuimus, in locum

---

[1]) Bonitz metaph. II p. 18. Brandis Gesch. d. Phil. II, 2 p. 544.

[2]) Ravaisson l. l. I p. 106.

[3]) Glaser, die Metaph. d. Ar. Berl. 41. p. 52.

[4]) Num hic liber *Δ*. differat ab illo, qui in catalogo Diog. Laert. et anonymi recenseatur »*περὶ τῶν ποσαχῶς λεγομένων ἢ κατὰ πρό[ς]θεσιν*«, de hac re litem non movebo. Sed, me judice, ne unus quidem ex libris metaphysicis in catalogo D. L. inest; illum enim catalogum non Alexandrinae bibliothecae, sed exemplarium Ar. ab Apellicone Athenas translatorum fuisse equidem censeo; exemplar autem metaphysicorum librorum non Theophrasto sed Eudemo ab Ar. traditum fuit. Habeo, quibus hanc meam sententiam firmem, sed nunc rem in transitu monuisse satis habeo.

tutum atque apertum escendimus. Et si hanc sententiam viri docti probaverint, reliqua omnia hinc facile deducere potero. Etenim capita quidem primae philosophiae Ar. in libris *M.N.Λ.* tradiderat, sed ut haec doctrina infensis impetibus resistere posset, firmiore ac validiore substructione opus fuit. Sic omnia de primo motore praecepta proteguntur quasi arce doctrina de potentia et actu. Ad hunc scopulum Ar. non modo placita Platonicorum affligere studuit (*N.* c. II init.), sed etiam ipsius doctrinam in hoc fundamento collocavit (*Λ.* c. VI). Hoc igitur fundamentum muniendum fuit; qua in re potentia atque actus differrent, quae ratio inter eas intercederet, utra prior, utra posterior esset, copiosius atque accuratius explanandum fuit. Atque hanc partem Ar. elaboravit in libro *Θ.* Deinde saepius Ar. prioribus philosophis exprobrasse, quod contrariis principiis temere abusi sint, supra[1]) significavimus. Placita igitur, quae ex falsa illa doctrina isti philosophi deduxerant, ut Ar. rescinderet, suam de contrarietate doctrinam opponere debuit. Atque capita verae de contrariis doctritrinae in *Λ.* c. II proponi nos non latuit. In hac enim re cardo Aristoteleae doctrinae vertitur, quod contraria extrema membra mutationis sint, nec ad elementa rei ipsius, quae mutetur, pertineant. Attamen vix Ar. tam brevi adumbratione sibi satisfacere potuit, latius res exaggeranda fuit. Accedit, quod Platonici Pythagoreique ad principia contraria referebant unitatem, dualitatem et unitatem, multitudinem et aequum, inaequum, posterius autem principium rursus in duas partes *τὸ μέγα καὶ μικρὸν* dirimere

[1]) p. 96.

solebant (*N.* c. I). Quodsi Ar. radicitus illa placita evertere voluit, copiosius enucleare debuit, quae sit natura illarum contrariarum notionum, et num omnino contrariae sint. His omnibus de rebus copiose et subtiliter egit in libro I. Universa denique doctrina idearum ab integritate purae formae a materie sejunctae suspensa erat. Huic doctrinae fundamentum subtrahi, dummodo veri generationis processus ratio haberetur, Ar. *A.* c. III indicaverat. Sed ut rei ponderi satisfieret, Ar., quae sit omnino natura substantiae, ubi spectetur, qua ex parte existere dici possit, enucleatius explanavit libris *Z. H.* [1]). Jam si hac ratione Ar. a rebus ipsis ad fundamenta suae doctrinae firmanda propulsum fuisse probabiliter docui, facillime abrupta

---

[1]) Hac in uberiore disputatione libri *Z.* quaestiones sextam septimamque libri *B.* 998ᵃ 20 — 999ᵃ 24 magis illustrari neutiquam nego. At primum quaestionem sextam nusquam diserte pertractari ipsi Bonitzius (II, p. 151) et Schweglerus (III, 128) concedunt; septima autem ne in libro *Z.* quidem nominatim respicitur, ita tamen cum tota doctrina idearum cohaeret, ut hac eversa ipsa concidat. Atque Ar., Platonicis placitis in libris *M. N.* refutatis, has dubitationes jam satis solvisse primo sibi visum esse, eo magis probabile fit, si brevem solutionem plerarumque quaestionum in memoriam revocaverimus. Quodsi res, quae ad has quaestiones spectant, in libro *Z.* magis in lucem trahuntur atque adeo accuratius excutiuntur, hoc neutiquam cum sententia, quam ipse de his libris tuli, pugnat, immo vero optime concinit. Idem cadit in quaestionem undecimam (*B.* 1001ᵃ 4 — ᵇ 25), quae, etsi in libri *I* c. II nominatim atque copiose tractatur, non minus tamen aperte in *N.* c. I respicitur. Hac igitur de parte mea sententia, primam institutionem libris *A* c. I, II *B. Γ. Δ. M. N. A.* Ar. absolvisse, everti nequit. Accedit, quod isti in difficultatibus aperiendis acquieverunt; sed explicanda est forma, qua quidem libri metaphysici nobis traditi sunt.

forma, quae priora capita libri *Λ.* et inprimis cap. II et III deformat, explicatur. Nam cum Bonitzius et Schweglerus ipsi priorem ac posteriorem partem libri *Λ.* arcte cohaerere concedant, non satis est, ut formam dictionis diversissimam esse dicamus, sed causa hujus rei aperienda est. Quodsi Ar. fundamenta, in quibus sua doctrina exstructa fuit, in hac priore parte libri *Λ.* jecerat, haec tamen ut exaggeraret et dilataret postea coactus fuit, quid verisimilius, quam ordinem hujus partis aliis correctis, aliis adjectis turbatum atque perplexum redditum esse? Oculis conspicere mihi videor Ar. alia in his capitibus emendantem, alia in margine addentem, alia invertentem, dum haec fundamenta nova ac plena institutione exponere consilium ceperit. Neve quis me putidae hariolationis incuset: argumentis nitor in parte critica traditis. Sed, ut ad libros illos *Z. H. Θ. I.* redeamus, per se patet fundamenta, e quibus doctrina suspensa sit, doctrinae ipsi praemittenda esse. Quamquam igitur hi libri post libros *M. N. Λ.* conscripti sunt, his tamen praefigi debent. Sed hac in re ab incerta conjiciendi via ad fidem Ar. ipsius deducimur. Is enim compluries significat tractatum his libris inclusum viam patefacere ad disputationem de primis et aeternis substantiis, sic *Z.* c. II; 1028^{b} 27 *περὶ δὴ τούτων τί λέγεται καλῶς ἢ μὴ καλῶς, καὶ τίνες εἰσὶν οὐσίαι, καὶ πότερον εἰσί τινες παρὰ τὰς αἰσθητὰς ἢ οὐκ εἰσί, καὶ αὗται πῶς εἰσί, καὶ πότερον ἔστι τις χωριστὴ οὐσία, καὶ διὰ τί καὶ πῶς, ἢ οὐδεμία παρὰ τὰς αἰσθητὰς, σκεπτέον, ὑποτυπωσαμένοις τὴν οὐσίαν πρῶτον τί ἐστι.* Notes verba *πότερον ἔστι τις — πῶς* non modo ad libros *M. N.*, sed etiam ad expositionem suae ipsius doctrinae in libro *Λ.*

spectare. Eundem connexum librorum *Z.H.* et *M.N.Λ.* indicat Ar. *Z.* c. XI 1037ᵃ 10. *πότερον δ' ἔστι παρὰ τὴν ὕλην τῶν τοιούτων οὐσιῶν τις ἄλλη, καὶ δεῖ ζητεῖν οὐσίαν αὐτῶν ἑτέραν τινὰ οἷον ἀριθμοὺς ἤ τι τοιοῦτον, σκεπτέον ὕστερον*[1]). Nec diversam rationem Ar. tradidit *H.* c. I 1042ᵃ 22—24, significat *H.* c. III 1043ᵃ 37—40, et luculenter illustravit *Z.* c. III exeunte et cap. IV ineunte, modo ingeniosam conjecturam Bonitzii verba *ἐπεὶ δ' ἐν ἀρχῇ — αὐτοῦ* (9ᵇ 1—3) post *διὰ τούτων αὐτῶν* (v. 12) trajicientis probaveris. Certum judicium in libris *Θ.I.* desideramus, nec omnino liber *I.* arcte cum prioribus concatenatus est. Nihilominus ex iis, quae supra exposui, dubitari nequit, quin Ar. hos quoque libros libris *M.N.Λ.* praeponere voluerit.

Aristotelem igitur libros *Z.H.Θ.I.* libris *M.N.Λ.* praefigere in animo habuisse certum est. Sed vinculum quoddam explorandum fuit, quod hanc disputationem cum praecedenti connecteret. Atque hac in re Ar. praestantissima arte usus est. Nam cum in libro *Γ.* genus primae philosophiae *τὸ ὄν ᾗ ὄν* esse docuisset, nunc disputationem huic generi ipsi adnectit. Atque quatuor generibus *τοῦ ὄντος* distinctis, disputationem de substantiis sive libros *Z.H.* suspendet ab entibus, quae in categoriis contenta sint (cf. *E.* c. II init cum *E.* c. IV exeunte), tractatum de potentia et actu annectit *τῷ ὄντι δυνάμει καὶ ἐνεργείᾳ*

---

[1]) Vix necessarium est, ut illud *ὕστερον* defendam. Nam quamquam hos libros post libros *M. N. Λ.* compositos esse demonstravi, et in hanc partem sententiae gravissimae virorum doctorum concesserunt, Ar. tamen postea hos libros praepositurus optimo jure dicere potuit *σκεπτέον ὕστερον.*

(cf. 1026ᵇ 2 et 1045ᵇ 33, 34), reliqua denique entium genera: *τὸ ὡς συμβεβηκὸς ὂν καὶ τὸ ὡς ἀληθὲς ὂν* ab hac disciplina excludenda esse contendit (1027ᵇ 29 — 34), prius tamen breviter perstringit *E.* c. II et III, posterius autem ob aliam quandam causam respicit *Θ.* c. X[1]). Sed tam concinne disputatio librorum *E. Z. H. Θ.* generi primae philosophiae in libro *Γ.* explanato attexta est, ut haec res ipsa viros doctos a recta via avertisse videatur. Cum enim disputationem per libros *Γ. E. Z. H. Θ.* optime continuari viderent, primam institutionem in libris *A. B. Γ. E. Z. H. Θ.* contineri censuerunt; qua re statuta non habebant, qui libri *Δ.* et *M. N. Λ.* intexi possent. Mihi igitur denuo ad consilium hujus disciplinae redeundum est, ut meam sententiam ab hac parte defendam. Ar. enim in ipso atrio hujus operis in l. *A.* c. II eadem ratione, qua jam antea in aliis libris[2]), statuerat, prima in philosophia summa principia tractanda esse. Jam in exordio libri *Γ.* Ar., quasi tacite sciscitatus, quasnam ad res illa principia referenda sint, respondet, prima principia, ut a quibus omnia suspensa sint, omnium entium, qua entia, communia esse debere, quam ob causam summa principia entium, qua entia, sibi investiganda esse. At hinc nondum necessario sequitur, ut nunc disputatio *περὶ τοῦ ὄντος ᾗ ὄν* instituatur, sed manet illud primum consilium, ut summa principia explorentur, sed summa principia non certi cujusdam entium generis, sed omnium entium, qua entia. Hanc rem ut eo magis lecto-

---

[1]) Vide Bonitzium a. h. l. contra Schweglerum rectissime disputantem.

[2]) Phys. *A.* c. IX 192ᵃ 24; phys. *B.* c. II 194ᵇ 14; de gener. et corr. *A.* c. III 318ᵃ 5; et fortasse de meteor. c. VI 700ᵇ 7.

rum animis insinuem, rursus Ar. verba appono: *διὸ καὶ ἡμῖν τοῦ ὄντος ᾗ ὄν τὰς πρώτας αἰτίας ληπτέον* (1003ª 31). Itaque eximia cum arte ab Ar. factum esse, ut postea disputationem de substantiis et potentia atque actu huic generi adnexerit, neutiquam nego, sed hac re facta non sine aliqua inconstantia primum consilium detortum esse contendo. Illic summa principia, quae in immotis atque aeternis substantiis spectarentur, in prima philosophia tractanda esse docuerat; nunc ita disputationem instituit, tamquam in prima philosophia de ente, qua ens, nec quidquam de summis principiis agendum sit. Quid vero? si docuero hoc ipsum Ar. sensisse atque adeo oblique significasse, quomodo haec difficultas solvenda sit? In primo enim capite libri *E*, in quo libro illa disputatio de ente, qua ens, orditur, Ar. tres partes theoreticae scientiae distinguit[1]): physicam, mathematicam, theologiam sive primam philosophiam; in prima autem philosophia de substantiis immotis ac per se existentibus disceptari 1026ª 16 *ἡ δὲ πρώτη καὶ περὶ χωριστὰ καὶ ἀκίνητα.* Haec concinunt cum iis, quae Ar. in exordio libri *Λ*. docuerat, quandoquidem prima principia rebus sensibilibus superiora esse debent. At nunc Ar. in universum (*καθόλου*) de ente, qua ens, disputaturus fuit. Ar. igitur, ne crimen turpis inconstantiae in se conjici pateretur, haec duo consilia in unum conflare debuit. Quomodo hoc fecit? Ex ratione, quae inter arithmeticam et ceteras inferiores mathematicas disciplinas intercedat, primam philosophiam, ut quae prima sit, generalem quoque esse Ar. respondet. Jam, credo,

---

[1]) Vide nos p. 82.

intelligitur, cur Ar. alteri parti post primam institutionem compositae cap. I libri *E.* praeposuerit. Sed si ex sententia, ob omnibus fere accepta, libros *Α.Β.Γ.Ε.Ζ.Η.Θ.* continua in serie se excipere statuimus, perspici non potest, quid hoc caput, in media disputatione interjectum, hoc loco sibi velit. Cum in libris *Ζ.Ε.Ζ.Η.Θ.* res immotae atque aeternae in transitu tantum attingantur, totaque disputatio generi hujus disciplinae sive *τῷ ὄντι ᾗ ὄν* adjuncta sit: cur haec molesta atque importuna interruptio? cur hae ambages? cur non statim libri *E.* c. II—IV *Ζ.Η.Θ.* libro *Γ,* in quo illud genus exploratum fuit, agglutinantur? Sin autem nostrum caput ad discidium illud inter primae institutionis libros *Μ. Ν. Λ.* et hanc posteriorem partem *Ζ.Η.Θ.Ι.* retulerimus, omnia plana et aperta sunt. Sed eodem modo hic novus tractatus cum extremis libris, quibus ut praeponeretur, destinatus erat, conjungendus fuit. Atque hoc vinculum inest in initio libri *Μ.* 1076ª 8. *Περὶ μὲν οὖν τῆς τῶν αἰσθητῶν οὐσίας εἴρηται τίς ἐστιν, ἐν μὲν τῇ μεθόδῳ τῇ τῶν φυσικῶν περὶ τῆς ὕλης, ὕστερον δὲ περὶ τῆς κατ' ἐνέργειαν.* Extrema enim verba *ὕστερον — ἐνέργειαν* non nisi ad hos libros atque inprimis ad libros *Ζ.Η.* referri debent. Bonitzius quidem eo inclinat, ut haec verba cum Alex. ad partem quandam physicae auscultationis referat. At si respexerimus, quibus locis particulae sibi respondentes *μὲν — δὲ* collocatae sint, apparet posteriorem partem non parti physicorum, sed omnino physicis libris oppositam esse. Conferre autem juvabit *Η.* c. II 1042ᵇ 10 *ἐπεὶ δ' ἡ μὲν ὡς ὑποκειμένη καὶ ὡς ὕλη οὐσία ὁμολογεῖται, λοιπὸν τὴν ὡς ἐνέργειαν οὐσίαν τῶν αἰσθητῶν εἰπεῖν τίς*

ἐστιν[1]). Jam si quis ex me quaerit, num has duas partes perfecte concinnatas esse putem, id omnino nego. Etiamsi enim aliquot locos priori institutioni, quam statuimus, postea additos esse, quibus partes posterioris laudarentur, concedimus[2]), his tamen minutiis res nondum confecta est. Immo vero contendo Ar., si has partes in unam perfectam atque absolutam unitatem conflare voluisset, omnes hos libros funditus retractare, atque in aliam formam redigere debuisse. Accedit, quod in posteriore institutione ipsa non minus quam in majore parte prioris permulta nec apto ordine disposita, nec concinne ac limate scripta sunt. Sed non modo dictio horum librorum neutiquam polita est, sed etiam multa leviter adjecta fuisse videri, quae postea conglutinarentur, in parte critica docere studui. Praeterea liber *Δ*. nunc plane disjunctus nullaque ratione copulatus fuit. Nam nunc Ar. in libro *I*. multas notiones, quae in libro *Δ*. recensentur (*ἕν, πλῆθος, ταὐτό, ἕτερον, ὅμοιον, ἐναντίον*), longe uberius ac subtilius tractaverat, notionibus vero potentiae et actus totum librum *Θ*. assignaverat, unde liber *Δ*. suum locum non jam tenere poterat.

Quodsi hac ex parte omnes has turbas consideraverimus, altera autem ex parte concinnam, politam tersamque disputationem libri *K*.[3]) perlustraverimus, vix dubium esse potest,

[1]) Michelet in »examen crit. de l'ouvrage d'Ar. intit. Métaph.« p. 43 illud *ὕστερον — ἐνέργειαν* ad metaph. *Θ*. refert, et eo inclinat, ut verba *ἐν τῇ — ὕλης* ad metaph. *H*. referat. Sed omnium refutandorum otium mihi non suppetit; lectores ipsi judicent!

[2]) Sic *Δ*. c. VII 1017ᵇ 8 promittitur disputatio l. *Θ*. c. VII; et idem liber *Θ*. respectus esse potest *Δ*. c. VI 1072ᵃ 4 et *N*. c. II 1088ᵇ 25, si quis explicationem horum locorum, quam Bonitzius dedomit, non probaverit.

[3]) Me priorem tantum libri *K*. partem significare lectores moni-

quin hic liber postea demum ab Ar. eo consilio conscriptus sit, ut ea, quae in illis libris incondita ac turbata jacerent, in justam atque elegantem formam redigeret. Is enim est in hoc libro clarus disponendi ordo, is continuus disputandi tenor, is candidus dictionis nitor, ut Ar. suavitatem, quam Cicero et Plutarchus praedicent, agnoscere nobis videamur. Quodsi jam hac de causa Brandisio, hunc librum ante pleniorem tractatum conscriptum esse censenti[2]), adstipulari non possumus, singuli quoque loci ad meam sententiam stabiliendam valent, de quibus in parte critica egimus[3]). Praeterea eae inconcinnitates, quas ex conflatis prioribus illis institutionibus profectas esse significavimus, hoc in libro evitatae sunt. Sic Ar. in libro *K.* librum *Δ.* certe ex metaphysicis exterminare et disputatione accuratiore, ex libris *Z. H. Θ. I.* excerpta, reparare voluisse jam hinc apparet, quod ii loci libri *B* et *Γ*, quos ad librum *Δ.* necessario referendos esse supra docui[4]), hoc in libro *K.* omissi sunt; sic porro finem hujus disciplinae ita in libro *K.* circumscripsit, ut statim a genere sive ab ente, qua ens, proficisceretur, et huic omnem disputationem adnectendam esse significaret (cf. *K.* c. III init. et *Γ.* c. I). Quod consilium autem Ar. in doctrina de primis substantiis exponenda secuturus fuerit, utrum idem, quo in libris *M.N.Λ.* usus erat, an diversum, hoc vix dijudicari potest, quia expositio libri *K.* in libro *E.* plenioris expositionis interciditur. Dignum tamen notatu id est, quod quaestio illa

tos velim, posteriorem enim 1065ᵃ 26 — 69ᵃ 14 ad metaphysica certe non pertinere alii affatim probaverunt, cf. Bonitz. metaph. II p. 23.

[2]) Berl. Acad. 34 p. 66 sqq.; rectius Ravaisson l. l. p. 97.

[3]) cf. inprimis p. 82, 84 sqq.

[4]) p. 104.

perdifficilis, quo pacto universum genus primae philosophiae (*τὸ ὄν ᾗ ὄν*) cum peculiari consilio ejusdem disciplinae (*περὶ ἀκινήτων καὶ ἀϊδίων*) conjungendum sit, in libro *K.* perspicue quidem et concinne tractatur, ita tamen, ut non omnis difficultas enodetur. Nam cum Ar. statim post quaestiones disceptatas in cap. III id fundamentum hujus disciplinae jecisset, ut omnem expositionem ad genus sive ad ens, qua ens, contraheret, subito in cap. VII quasi tergiversatus illam sententiam in hanc alteram deflectit (1064ᵃ 28): *ἐπεὶ δ' ἔστι τις ἐπιστήμη τοῦ ὄντος ᾗ ὄν καὶ χωριστόν*, et hinc facile disputationem de substantiis immotis ac per se existentibus (*χωριστοῖς*) huic disciplinae vindicat. Sed quis condonet Ar. subito addenti »*καὶ χωριστόν*?« ; tali enim ratione vulnus magis velatur, quam sanatur. Num omnino hoc discidium conciliari possit, an hac ipsa in re summa difficultas omnis philosophiae spectetur, hoc non meum est; magis certe placet ratio, quam Ar. in fine hujus capitis iniit: *καὶ καθόλου τῷ πρότερον.*

Quaestione de libro *K.* perstricta, in alteram valde cognatam delabimur, utrum Ar. uberiorem disputationem librorum *B. Γ. E.* omnino projicere et praecisiorem et limatiorem librum *K.* in eorum locum summittere voluerit, an illum pleniorem quoque tractatum postea elaborare, limare apteque disponere cogitaverit. Ac quamquam multa in libris *Γ. E.* turbata dilaceratque sunt, quamquam interdum disputatio nimis in spinas ac dumeta correpit, multa tamen argumenta, in libro *K.* omissa, ita rei defensae probabilitatem augent stabiliuntque, ut quae vix Ar. postea plane spernere et projicere in animo habuerit[1]). Sed accedit

[1]) Vide Bonitz. et Schweglerum ad libr. *K.* de hac re disputantes.

firmius argumentum. Etenim si dictionem librorum metaphysicorum inter se comparaverimus, tres libros *A. B. K.* longe ceteris concinnitate et munditia excellere videbimus. Quomodo hoc in libro *K.* explicandum sit, modo explicuimus, eadem autem ratio ad librum *B.* transferri debet. Nam unde factum est, ut liber *B.* tam polite ac limate conscriptus sit? Nonne occasio nova adjiciendi, nova interponendi, unde multas inconcinnitates rell. librorum explicandas esse docuimus, multo major fuit in libro *B.* solutionibus quaestionum praemisso? Unde igitur concinna et polita dictio hujus libri? Non aliunde, credo, atque ex altera cura, quam Ar. huic libro impertitus est. Atque haec res nos deducit ad extremam quaestionem de posteriore parte primi libri sive de capp. III — X. Nam non modo ter in libro *B.* (995^b 32, 996^b 8, 997^b 3) haec pars libri *A.* citatur, sed ita quoque laudatur, ut hi loci non leviter adjecti esse videantur, sed cum tota disputatione contexti sint [1]). Id igitur certum est, Ar. hos libros in secunda cura ita disponere voluisse, ut toti operi praeponeret plenum librum *A.* At nunc necessarium fuit, ut extremi libri in aliam formam redigerentur; in perfecto enim opere eundem tractatum iteratum ferri nequire, quis est, quin concedat? Praeterea disputatio reliquorum quoque librorum sine dubio immutanda fuit. Nam in libris *Γ.*—*N.* numquam disputationem quatuor generibus causarum adnecti, immo vero summas causas ad aeternas et immotas substantias transferri vidimus. Ar. igitur in secunda cura quatuor causarum genera disputationi intexere debuit, ne

[1]) Minus certa conjunctio librorum *A.* et *K.* est, ut in quo semel tantum idque in exordio libri altera pars libri *A.* respiciatur.

altera pars libri *A.* suspensa haereret [1]). Sed quomodo Ar. totum opus immutare voluerit, hoc in medio relinquo; fortasse autem ex praefixa disputatione de quatuor causarum generibus suspicari licet, Ar. ipsum illas difficultates, quas viri summi Ar. objecerunt [2]), praesagivisse, et primum motorem cum reliquis causis aliqua certe ex parte conjungere voluisse. Eo magis acerba mortalium sors lugenda est, qua Ar. hoc ipso temporis momento nobis ereptus est.

Jam ut ab hoc loco oculos retorqueam et quae disseruerim comprehendam, haec fere est summa disputationis. Primam institutionem primae philosophiae Ar. absolvit his libris: *A.* c. I, II *B. Γ. Δ. M. N. Λ.*; postea suae doctrinae firmandae causa libris *M. N. Λ.* praeposuit libros *E. Z. H. Θ. I.* Sed cum hac ratione ordo disputationis crebro turbatus, nec singulae res satis elaboratae essent, Ar. libros *B. Γ. E.* in pressiore sed multo concinniore disputatione libri *K.* comprehendit, omnem vero institutionem denuo elaborare aptiusque disponere consilium cepit, cujus alterius curae exstant libri *A. B.*, qua quidem forma nobis traditi sunt.

Haec igitur sunt, quae de ordine librorum metaphysicorum disputanda habeam. Ex pleniore refutatione contrariarum sententiarum, et quas alii tulerint, et quibus ipse antea vexatus fuerim, multum fortasse ponderis meae sententiae addi potuisse me non fugit. Sed nolui commentationem prolixiorem reddere; quivis ipse periculum faciat non eo consilio rem aggressus, ut difficultates ape-

---

[1]) Hoc recte perspexit Buhlius in »Bibliothek der alt. Lit. und Kunst.« 1788. p. 29, quamquam reliqua hujus viri temeritas procul a me esto!

[2]) Ritter, Gesch. d. Phil. III p. 201 sqq.; Zeller, Gesch. d. Phil. d. G. II p. 552 sqq.; Brandis, Gesch. d. Phil. II, 2 p. 476 sqq.

riat, sed eo, ut formam nobis traditam explicet. Unum lapillum demoveat, vel alium in locum transferat, et videbit, quas in difficultates irrruat. Meis quoque argumentis exaggerandis et uberiore disputatione illustrandis meam sententiam magis confirmare ac stabilire potui; sed, si vera est, jam nunc animos convincet, sin falsa videtur, ne uberrima quidem expositione a me comprobari potest. Finem igitur commentationi jamjam impositurus addo Ar. verba: *μᾶλλον γὰρ ἐκ πλειόνων ἂν ἔτι πεισθείη τις πεπεισμένος, πρὸς δὲ τὸ πεισθῆναι μὴ πεπεισμένος οὐθὲν μᾶλλον.*

Arist. metaph. *M.* c. IX.

EXCURSUS.

In commentatione de ordine Ar. librorum metaphysicorum praetermittere non licet notissimum illum locum Ciceronis de nat. deor. I c. 13: »Aristoteles quoque in tertio de philosophia libro multa turbat, a magistro Platone uno dissentiens; modo enim menti tribuit omnem divinitatem: modo mundum ipsum deum dicit esse: modo quendam alium praeficit mundo, eique eas partes tribuit, ut replicatione quadam mundi motum regat atque tueatur: tum coeli ardorem deum dicit esse, non intelligens, coelum mundi esse partem, quem alio loco ipse designarit deum. Quomodo autem coeli divinus ille sensus in celeritate tanta conservari potest? ubi deinde illi tot dii, si numeramus etiam coelum deum? Cum autem sine corpore idem vult esse deum, omni illum sensu privat, etiam prudentia.

Quo porro modo mundum movere carens corpore, aut quomodo semper se movens esse quietus et beatus potest?«

Haec verba primo inspicientem magnus concentus doctrinae, quam Cicero in tertio de philosophia libro reperisse dicit, et quam nos in libro metaphysico *Λ*. legimus, obstupefecit. Jam Krischii eximiam disputationem[1]) perlustranti sententia doctissimi illius viri, librum metaphysicum *Λ*. huic tertio de philosophia libro eundem esse, magis magisque animo se insinuavit. Sed unum argumentum, quo haec omnis lis dijudicari debeat, ab omnibus mirum in modum neglectum esse mox intellexi. Vidi enim primum omnium explorandum esse, utrum Pseudoalexander sive commentator libri metaph. *Λ*. libros de philosophia cognoverit, necne. Atque Alexandro inspecto, illum commentatorem non modo ter libros de bono (588, 2; 616, 2; 669, 28 ed. Bon.), sed etiam semel (756, 17) libros de philosophia laudare cognovi. Laeto animo hinc conclusi, eum librum, quem Cicero laudaverit, Pseudoalexandri tempore non jam partem librorum de philosophia fuisse; nam si ille tractatus partem hujus operis effecisset, Pseudoalexandrum certe in libro *Λ*. explicando tam cognatae disputationis saepius mentionem facturum fuisse ratiocinatus sum. Accessit, quod Sosigenem[2]), Ciceronis aequalem, accuratissime de sphaerarum doctrina, in libro *Λ*. proposita, egisse, ejusque librum Simplicium manibus trivisse ex ipso Simplicio cognoveram (Ar. schol. ed. Brand. 498^{b} 1; 500^{a} 41, ^{b} 39; 501^{b} 7). Sosigenem illum in nu-

[1]) Forschungen auf dem Gebiete der alten Philosophie I pag. 258—311.

[2]) Alium Sosigenem praeter notissimum illum mathematicum, Caesaris aetate florentem, nusquam explorare potui.

mero sphaerarum offensum esse, et audacter difficultatem amoliri tentasse Pseudoalexander p. 681, 20 ed. Bon. et Simplicius l. l. p. 502ª 36 docuerunt. Multitudinem autem deorum, in Cic. loco memoratam, ad eandem expositionem sphaerarum referendam esse jam paullo audacius posui. Hinc necessario consentaneum esse videbatur, librum tertium de philosophia, a Cic. allatum, a libro metaph. *A.* non diversum esse; nam si alius tractatus ejusdem rei Cic. et Sosigenis temporibus exstitisset, Sosigenes sine dubio in explicanda illa difficultate ad illum alium tractatum confugisset. Illud sane transsilui, Sosigeni in tam accurata expositione librum Ar., quem interpretatus sit, laudandum fuisse, et si alium librum ac metaph. *A.* memorasset, hoc vix Pseudoalexandrum et Simplicium fugere potuisse. Sed missa ista quaestiuncula gaudio exultavi, mihi nunc certissimis argumentis illam litem de Cic. loco componere contigisse, nec dubitavi pauculas illas res, quae concinere non videbantur, cum Krischio Velleji Epicurei levitati imputare.

Jam quaesivi, quinam duo priores libri illius operis de philosophia fuerint. Atque Petiti[1]) suspicio, tres libros metaph. *M. N. A.* in unum opus de philosophia redactos esse, mihi hac de causa non probata est, quia libri *M. N.* certe arctius cum libro *B.* conjuncti sunt. Titzius[2]) vero et Krischius[3]) sententiam, illos libros de philosophia in libris metaph. *A. K. A.* nobis conservatos esse, mihi numquam probaverunt, et semper miratus sum Krischii opinionem viris doctissimis probabilem visam esse. Nam ut

[1]) Miscell. IV c. 9.
[2]) l. l. p. 70—113.
[3]) l. l. p. 270, 271.

alia praeteream, irritaene quaestiones summae in l. *K.* c. I et II motae sunt? Ubi disceptatur de ideis, de notione substantiali, de numeris, de magnitudinibus, de unitate, aliis? Nam solutio harum quaestionum non in praecedenti libro *A.* quaerenda est, sed in subsequenti disputatione explananda fuit. Rejectis igitur his sententiis ipse statim in aliam incidi. Etenim jam antea mihi enotaveram trium librorum »de bono« in catalogo D. L. recensitorum duo tantum libros a veteribus commentatoribus laudari. Hinc conjeci a vetere quodam grammatico duobus libris de bono, in quibus doctrina Platonis de summis principiis tradita fuerit, librum metaph. *A.*, Ar. ipsius doctrinam de summo principio continentem, additum fuisse. Hac autem re duas difficultates solvisse opinatus sum. Primum lectionem Cic. codd. fide firmatam: »Aristoteles quoque in tertio de philosophia libro multa turbat a magistro Platone uno dissentieus« pulcherrime explicare mihi visus sum hunc in modum: in duobus praecedentibus libris Platonis doctrinam tradidit, in uno tertio ipse, a Platone dissentiens, suas partes egit. Deinde scrupulum eorum, qui meam sententiam de ordine librorum metaph. hac de causa, quia nusquam in libro *A.* lectores ad alios libros metaphysicos delegarentur, probare cunctarentur, simplicissime amoliri cogitavi. Nam eos locos libri *A.*, qui ad praecedentes libros metaph. spectaverint, ab illo grammatico, qui librum *A.* cum libris de bono conjunxerit, ejectos esse, verisimile esse videbatur. Sic antea statueram. At dubitationem movit Diog. Laert., ut qui tres libros de bono et tres de philosophia recenseat, nec sententia Brandisii[1]) aliorum-

[1]) De perd. Ar. lib. de ideis et de bono p. 6.

que, idem opus sub diversis titulis latum esse statuentium, mihi omni ex parte probabatur; peropportune vero idem Brandisius[1]) monuerat, reliqua, quae Cic. in eodem libro »de nat. deor.« de Ar. theologia tradiderit, ex eodem fonte derivanda esse. Sed hujus quoque argumenti vim infracturus fui, quia nusquam praeter illum unum locum *I.* c. 13 Cic. libros de philosophia nominatim laudaverit. Quo studio enim pater liberos tuetur, eodem ego hanc sententiam defendi. Mene rei, quam explorasse tantopere gavisus fuerim, ipsum proditorem esse!

Sedato demum animo verum dulci praetuli et sine ullo studio rem denuo retractavi. Atque primum Cic. tam obiter significat, plures deos Ar. statuisse, ut subtilem sphaerarum doctrinam in illo libro expositam fuisse sine ullo certo argumento conjiciatur. Deinde ne Epicurei quidem levitas ex libro *A.* eruere potuit, Ar. mundum deum esse docuisse. Nam cum Cic. apertissime coelo mundum opposuerit, non cum Krischio statuere licet, Epicureum ex ambiguitate vocis *οὐρανοῦ* Ar. doctrinam deflexisse. Immo vero in illo quoque libro, unde Cic. hausit, mundus atque coelum diversis nominibus notata fuisse videntur. Tum ardore coeli quintum elementum sive aetherem significari ex constanti Cic. usu Petitus[2]) et Krischius[3]) statuerunt et ex iisdem Cic. libris de nat. deor. apparet: II, 15 »quae oriuntur in ardore coelesti, qui aether vel coelum nominatur.« Jam vero difficillimum explanatu est, quo pacto Cic. Ar. simplicem vocem *οὐρανοῦ*, saepius in libro *A.* obviam, in ardorem coeli rem multo diversam

[1]) Gesch. d. Phil. II, 2 p. 84.
[2]) l. l. p. 48.
[3]) l. l. 306.

significantem detorquere potuerit. Profligantur autem istae opiniones, si Ar. in aliis libris re vera *κόσμον καὶ αἰθέρα ζῷα ἀθάνατα εἶναι* dixisse probaverimus. In Pseudoplutarchi enim libro de placitis philosophorum legimus haec: *I.* c. 11 *καὶ Ἀριστοτέλης τὰ μὲν πρῶτα αἴτια ἀσώματα, τὰ δὲ κατὰ μετοχὴν ἢ κατὰ συμβεβηκὸς τῆς σωματικῆς ὑποστάσεως· ὥστ' εἶναι τὸν κόσμον ζῷον.* id. V, 20 *ἔστι πραγματεία Ἀριστοτέλους ἐν ᾗ* [apud Galenum: *Πλάτων*[1]) *καὶ Ἀριστοτέλης*, et eodem modo Stob. eclogg. *I.* c. XLVI p. 756 ed. Heeren] *τέσσαρα γένη ζῴων φησὶ χερσαῖα, ἔνυδρα, πτηνὰ, οὐράνια· καὶ γὰρ τὰ ἄστρα ζῷα λέγεσθαι καὶ κόσμον* [*καὶ τῶν γηΐνων*] *ζῷον λογικὸν ἀθάνατον* (*καὶ γὰρ τὰ ἄστρα ζῷα εἶναι καὶ αὐτὸν τὸν κόσμον ζῷον λογικὸν ἀθάνατον*.. apud Gal.[2]). His locis collatis paullo firmius argumentum, quam quod tam facile cum Krischio l. l. p. 281 amoveri possit, praebet Clemens protrept. p. 44. *καὶ ὅ γε τῆς αἱρέσεως πατὴρ* (sc. *Ἀριστοτέλης*) *τῶν ὅλων οὐ νοήσας τὸν πατέρα τὸν*

---

[1]) cf. Ar. schol. 470ª 28 et 474ª 13, ubi illa doctrina Platonis ex Xenocratis »vita Platonis« citatur.

[2]) Magis incertum esse judico hunc locum: Pseudoplut. de plac. phil. *I.* c. VII *Ἀριστοτέλης τὸν μὲν ἀνωτάτω θεόν, εἶδος χωριστόν, ἐπιβεβηκὸς τῇ σφαίρᾳ τοῦ παντός, ἥτις ἐστὶν αἰθέριον σῶμα, τὸ πέμπτον ὑπ' αὐτοῦ καλούμενον. διῃρημένου δὲ τούτου κατὰ σφαίρας, τῇ μὲν φύσει συναφεῖς, τῷ λόγῳ δὲ κεχωρισμένας, ἑκάστην οἴεται τῶν σφαιρῶν ζῷον εἶναι σύνθετον ἐκ σώματος καὶ ψυχῆς.* cf. Stob. l. l. p. 486. Haec enim verba ex conflatis libro *Λ.* et illo tertio libro de philosophia profecta esse videntur. Subtilem certe doctrinam sphaerarum Ar. in libro de philosophia non tradidit. Notes Stobaeum libros »de bono« non jam cognovisse, quia l. l. p. 864 arctissime verbis Ar. de an. *A.* c. II se applicuit, nec quidquam ex pleniore expositione libri »de bono« addidit.

καλούμενον ὕπατον, ψυχὴν εἶναι τοῦ παντὸς οἴεται. τουτέστι τοῦ κόσμου τὴν ψυχὴν θεὸν ὑπολαμβάνων, αὐτὸς αὐτῷ περιπείρεται. ὁ γάρ τοι μέχρι τῆς σελήνης αὐτῆς διορίζων τὴν πρόνοιαν, ἔπειτα τὸν κόσμον θεὸν ἡγούμενος, περιτρέπεται, τὸν ἄμοιρον τοῦ θεοῦ θεὸν δογματίζων. Multo magis autem Clementis fides ab ista columnia liberatur, si locum Ar. ipsius a Simplicio nobis servatum apponimus Ar. schol. 473[b] 40. *χρῆ οὖν ἀκοῦσαι τῆς Ἀριστοτέλους λέξεως, εἰς ἣν ἀποτεινόμενος ταῦτα πάντα γέγραφεν οὕτως ἔχουσαν »ἀλλὰ μὴν οὐδ' ὑπὸ ψυχῆς οἷόν τε εἶναι τὴν τοιαύτην ζωὴν ἄλυπον ἢ μακαρίαν· ἀνάγκη γὰρ καὶ τὴν κίνησιν μετὰ βίας οὖσαν, εἴπερ κινεῖ, φέρεσθαι πεφυκότος τοῦ πρώτου σώματος ἄλλως κινεῖ συνεχῶς* (fort. leg. *εἴπερ, φέρεσθαι π. τ. π. σ. ἄλλως, κινεῖ συνεχῶς*), *ἄσχολον εἶναι καὶ πάσης ἀπηλλαγμένην ῥαστώνης ἔμφρονος.«*

Quod vero ad reliquos locos in Cic. de nat. deor., ad Ar. doctrinam spectantes, attinet, ipsi sane per se firmum argumentum nondum suppeditant; nescio tamen, an in certius testimonium evehi possint. Atque rectissime jam Daviesius in commentariis ad Cic. de nat. deor. et Brandisius l. l. ad Cic. II, 15 Plutarchum de plac. phil. V, 20, et ad. II, 37 Sextum Empiricum advers. mathemat. IX, 20, 21 contulerunt, qua in re notes Sextum Empiricum Ar. metaphysicos sane libros bene cognitos habuisse [cf. Sext. Emp. adv. mathemat. IX, 7 et Ar. metaph. *Λ*. c. 3]. Ex his locis certum apparet, Ar. doctrinam de summis principiis in aliis quoque libris tradidisse, et valde verisimile fit, Cic. in illis libris de nat. deor. ex eodem fonte hausisse. Accedit vero alius locus pulcherrime consonus. Cic. enim de nat. deor. I, 38 dicit: »Orpheum poetam docet

Aristoteles numquam fuisse« age vero: hoc ipsum in libris de philosophia Ar. tradidisse memoriae prodidit Philoponus ad Ar. de an. fol. 3ª *ἐπειδὴ μὴ δοκεῖ Ὀρφέως εἶναι τὰ ἔπη, ὡς καὶ αὐτὸς ἐν τοῖς περὶ φιλοσοφίας ἔλεγεν.* Paullulum certe Krischii sententiam labefactasse mihi videor. Sed ne animos lectorum longius suspensos teneam, evolvamus Ar. de coelo *Λ*. c. IX 279ª 30. *καὶ γὰρ, καθάπερ ἐν τοῖς ἐγκυκλίοις φιλοσοφήμασι περὶ τὰ θεῖα πολλάκις προφαίνεται τοῖς λόγοις ὅτι τὸ θεῖον ἀμετάβλητον ἀναγκαῖον εἶναι πᾶν τὸ πρῶτον καὶ ἀκρότατον.* Jam videamus, quid Simplicius ad hunc locum adnotet: Ar. schol. 487ª 3 *ἐγκύκλια δὲ καλεῖ φιλοσοφήματα τὰ κατὰ τάξιν ἐξ ἀρχῆς τοῖς πολλοῖς προτιθέμενα, ἅπερ καὶ ἐξωτερικὰ καλεῖν εἴωθεν, ὥσπερ καὶ ἀκροαματικὰ καὶ συνταγματικὰ τὰ σπουδαιότερα. λέγει δὲ περὶ τούτου ἐν τοῖς περὶ φιλοσοφίας. καθόλου γὰρ .... προσέλαβεν* ª 18. Hoc loco primum animum obstupefecit fiducia Simplicii; nam dum idem Simplicius, libros »*περὶ ἀγαθοῦ*« laudans, propriis pedibus stare non audet, sed Alexandri aliorumque fulcris utitur [schol. 334ᵇ 27, 362ª 10, 368ª 31], hic subito totum locum ex libris *περὶ φιλοσοφίας* sua auctoritate fretus attulit. Deinde illum librum de philosophia popularibus scriptis [1]) adnumerandum esse apparet ex ipsis Simplicii verbis, qui si aliter statuisset, sine dubio dixisset: *λέγει δὲ περὶ τούτου καὶ ἐν τοῖς* ... Vix autem opus est, ut illum locum a Simplicio excerptum de deorum natura egisse, et cum eo loco, unde Cic. de nat. deor. II, 16 hauserit, cohaesisse moneam.

---

[1]) Sagacissime hoc Brandisius suspicatus est Gesch. d. Phil. II, 2 p. 84.

Ex his igitur documentis apparet: Scripsit Ar. librum περὶ φιλοσοφίας diversum a libro περὶ ἀγαθοῦ; in hoc subtilem Platonis doctrinam de summis principiis enarravit, in illius parte extrema de deorum natura populariter disseruit; nec ulla causa est, cur libros de philosophia a Cic. laudatos a Simplicii libro περὶ φιλοσοφίας diversos esse judicemus. Quod autem Sosigenes libros metaphysicos cognoverit, Cic. nec hic nec alias cognovisse videatur, ex duplici ratione explico. Primum Cic. libros philosophorum, oratoriis lenociniis non ornatos, nimis neglexisse constat, nec sane multa venustate delectant plerique libri metaphysici. Deinde verisimile est, Cic. editione Romana, ex bibliotheca Apelliconis confecta[1]), usum esse, in qua bibliotheca libros metaphysicos non infuisse suspicor. Sed hae sunt conjecturae; ad rem ipsam redeamus.

Statuimus enim ex Simplicio, Cicerone elenchisque Ar. librorum, libros περὶ φιλοσοφίας a libris περὶ ἀγαθοῦ diversos fuisse. Examinemus igitur locos, ex quibus contraria sententia virorum doctorum profecta est. Atque collegit hanc rem Brandisius l. l. p. 6 ex iis, quae veteres interpretes Simplicius, Philoponus, Themistius commentati sunt ad notissimum locum Ar. de an. *A.* c. II 404ᵇ 12 ὁμοίως δὲ καὶ ἐν τοῖς περὶ φιλοσοφίας λεγομένοις διωρίσθη. At ex commentatorum verbis, a Trendelenburgio de an. p. 223—227 plene exscriptis, et ex Suida sub voce ἀγαθοῦ δαίμονος nihil aliud concludi potest, nisi ea, quae Ar. in libris περὶ φιλοσοφίας exposuisse dicat, commentatores in libro περὶ ἀγαθοῦ reperisse: aliud nihil concludi potest. Quod vero Brandisius l. l. p. 7 Alexan-

---

[1]) cf. Strabo XIII p. 419 ed. Cas.

drum p. 86, 32 et 756, 12 ed. Bon. libros *περὶ φιλοσοφίας* citantem haud dubie libros »*περὶ ἀγαθοῦ*« respexisse dicit, id mihi quidem neutiquam tam manifestum esse videtur. Tractatus enim *περὶ τῆς ἀναγωγῆς τῶν ἐναντίων* ab Alex. quinquies: 206, 22; 218, 12; 218, 16; 616, 12; 588, 2 laudatur, atque in omnibus illis locis Ar. de hac re in libris *περὶ ἀγαθοῦ* egisse Alex. affirmat; Platonis autem doctrinam de magnitudinibus ab Ar. tractatam esse bis Alex. monet 86, 32; 756, 17 et utroque loco nos ad libros *περὶ φιλοσοφίας* delegat. Accedit, quod Alex. in secundo libro *περὶ ἀγαθοῦ* contraria membra ad primam contrarietatem unitatis et multitudinis reducta esse identidem monet 206, 13; 218, 12; 218, 15; Syrianus autem, qui graece exscriptus invenitur apud Brandisium l. l. p. 47, in secundo libro *περὶ φιλοσοφίας* difficultates, quibus Platonis doctrina de idealibus numeris implicata fuerit, expositas esse disertim enarrat. Atque de ideis sane Ar. *ἐν τοῖς λόγοις ἐξωτερικοῖς* disputasse ipse Ar. testes est 1076ᵃ 28 *τεθρύλληται γὰρ τὰ πολλὰ καὶ ὑπὸ τῶν ἐξωτερικῶν λόγων*. Nec obstat, quod Alex. in libro *Λ*. explicando libri III de philosophia nullam rationem habuit, quandoquidem illic non stricta demonstratio, sed popularis suavitas praevaluisse videtur. Quid? quod vel Simplicius, quem locum illum ex libris *περὶ φιλοσοφίας* transscripsisse vidimus, paullo ante dixit schol. 475ᵃ 13 *ἐπεὶ ὅτι εἰσὶ θεοὶ αἰώνιοι νοεροὶ ἐν τῷ η' τῆς Φυσικῆς Ἀκροάσεως ἔδειξε καὶ ἐν τοῖς Μετὰ τὰ φυσικά*. Nihilominus quidquam certi de hac re statuere nolo, quia illa sane, quae Syrianus alias ex libris *περὶ φιλοσοφίας* (vid. Brand. l. l. p. 44) laudat, magnopere concordant cum iis, quae Simplicius, Themistius, Philoponus ad Ar. de an. *Λ*. c. II vel

ipsi, vel ex vetustioribus commentatoribus afferunt ex libris »περὶ ἀγαθοῦ.« Potuit enim libris περὶ ἀγαθοῦ ab aliis titulus περὶ φιλοσοφίας inditus esse, unde tamen neutiquam sequitur, libros περὶ ἀγαθοῦ libris περὶ φιλοσοφίας, a Cic. et Simplicio laudatis, eosdem fuisse.

Reliquum est, ut exploremus, quos libros Ar. ipse sub nomine περὶ φιλοσοφίας significaverit. Atque incertis verbis »κατὰ φιλοσοφίαν« omissis, duo restant Ar. loci: de an. *A.* c. II 404ᵇ 19 ὁμοίως δὲ καὶ ἐν τοῖς περὶ φιλοσοφίας λεγομένοις διωρίσθη, αὐτὸ μὲν τὸ ζῷον ... et phys. ausc. *B.* II 194ᵃ 35 διχῶς γὰρ τὸ οὗ ἕνεκα· εἴρηται δ' ἐν τοῖς περὶ φιλοσοφίας. Atque Ar. in priore loco libros, qui postea sub titulo περὶ ἀγαθοῦ ferebantur, respexisse valde verisimile fit ex iis, quae commentatores a. h. l. ex libris περὶ ἀγαθοῦ afferunt. Certiores autem nos facit alter locus. Eandem enim distinctionem duarum specierum τοῦ οὗ ἕνεκα Ar. oblique significat metaph. *A.* c. VII 1072ᵇ 2 ὅτι δ' ἔστι τὸ οὗ ἕνεκα ἐν τοῖς ἀκινήτοις, ἡ διαίρεσις δηλοῖ. ἔστι γάρ τινι τὸ οὗ ἕνεκα καί τινος ubi Pseudoalex. nos ad librum περὶ ἀγαθοῦ delegat, nec dubitare licet, quin eundum librum in loco illo physico Ar. significaverit, quamquam commentatores libros ethicos respici opinantur.

Vidimus igitur libros περὶ ἀγαθοῦ a libris περὶ φιλοσοφίας diversos fuisse, Ar. tamen et interdum fortasse veteres commentatores libros περὶ ἀγαθοῦ sub titulo περὶ φιλοσοφίας laudasse. Quodsi hanc spinosam quaestionem enodare nobis contigit, dolorem istum ob conjecturam blandam ex manibus nostris extortam satis compensatum esse ducemus.

Ar. metaph.			pag.
1032b 15	sqq.	tractatur	68
1032b 28		»	43
1033b 6		»	12
1034a 19		»	44
1034a 24		»	45
1034b 3		»	20
1035a 21	sqq.	»	83
1036a 17		»	46
1037b 7		»	68
1038b 12	sqq.	»	69
1040a 17	sqq.	»	46
1040a 23		»	47
1040b 10		»	47
1041a 12		»	49
1041a 28		»	86
1042b 28	sqq.	»	49
1043b 4	»	»	70
1046b 22		»	51
1047a 11		»	16
1047b 3		»	86
1048a 37		»	21
1048b 6	sqq.	»	70
1048b 17		»	16
1049a 18		»	52
1049a 26		»	53

Ar. metaph.			pag.
1051a 27		tractatur	53
1051a 29	sqq.	»	72
1053b 13		»	54
1058a 6		»	55
1058b 18		»	73
1059a 29		»	56
1062b 26		»	56
1069b 3	sqq.	»	74
1070b 24		»	74
1071a 1		»	57
1071a 18		»	73
1072b 2		»	58
1076a 14		»	59
1077a 24	sqq.	»	74
1077b 4		»	59
1078a 26		»	60
1079a 2		»	27
1082a 37		»	61
1082b 36		»	7
1085b 26		»	62
1085b 30		»	62
1086a 5		»	62
1090b 36		»	63
1093a 20		»	63
1093b 18		»	63

BEROLINI, TYPIS GUSTAVI SCHADE.

INDEX

LOCORUM EMENDATORUM.

Ar. metaph.				pag.
981ᵇ	2	sqq.	tractatur	76
981ᵇ	25	»	»	77
990ᵃ	22	»	»	23
990ᵇ	6		»	26
990ᵇ	35		»	27
991ᵇ	30		»	19
994ᵃ	31		»	27
995ᵃ	5		»	15
995ᵇ	8		»	7
997ᵇ	14		»	19
999ᵃ	33	sqq.	»	28
1003ᵃ	1		»	30
1003ᵃ	30		»	19
1003ᵇ	29		»	30
1003ᵇ	36	sqq.	»	78
1004ᵇ	18	»	»	80
1004ᵇ	29	»	»	81
1006ᵃ	26	»	»	81
1007ᵃ	22		»	32
1008ᵇ	2	sqq.	»	32
1011ᵃ	3	sqq.	»	65
1013ᵇ	16		»	34
1014ᵇ	18		»	35

Ar. metaph.				pag.
1015ᵃ	11		tractatur	36
1016ᵇ	17		»	36
1018ᵇ	9		»	37
1019ᵃ	17	sqq.	»	66
1019ᵇ	7		»	37
1020ᵃ	17	sqq.	»	67
1020ᵇ	7		»	38
1020ᵇ	12		»	38
1021ᵃ	26		»	32
1021ᵇ	29		»	38
1023ᵇ	26		»	39
1024ᵇ	4		»	39
1024ᵇ	25		»	39
1025ᵇ	18	sqq.	»	41
1026ᵃ	13		»	40
1026ᵃ	23	sqq.	»	81
1027ᵇ	14	»	»	84
1028ᵇ	18		»	41
1030ᵃ	9		»	41
1030ᵇ	18		»	42
1031ᵃ	25		»	42
1031ᵇ	27		»	43
1032ᵇ	4		»	20

Ga 113.162.13
Studia in Aristotelis Libros Metaph
Widener Library 004402395
3 2044 085 099 703